legatis Pontificis Rom. Gregorii VII. Forchaimiæ, in confinio
A antiquæ Franciæ, veteriſque Bojariæ, congreſſi, Rudolphum,
Suevorum, & Burgondiorum Ducem, Regem hac lege ſalutarunt, ut comitia pontificalia abjuraret, clientelas Epiſcoporum abdicaret, neve veluti hæreditario jure filios ſuos ſucceſſores declararet. Diadema deinde capiti Rudolphi impoſuere à Gregorio miſſum: cui inſcriptus erat hic verſiculus:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Aventinus lib.3. Annalium Bojarum.

Cæſar Ludovicus Bavarus laborabat pedum cancro, carne furarum pauxillatim devorante, nec ullis medicamentis cedente. Clemens VI. Pontifex, cùm animadverteret Cæſarem nulli amplius multum nocere poſſe, Carolum Joannis Boemiæ Regis filium, miſſo de latere in Germaniam legato, Cæſarem ab Electoribus principibus deſignari impetravit. Convenerant Francofordiam Electores omnes, excepto Marchione Brandeburgico, nempè filio Cæſaris, & Antiſtite Moguntino, quem Pontifex proſcripſerat, atque ii una voce Carolum diii renitentem, Regem Romanorum conſalutarunt: & quando non ſatis tutò Aquiſgranum adiri poterat Bonnam Coloniæ
B Agrippinnæ vicinam deflexerunt, ibique Carolum ſolemni more coronarunt. *Dubrav.lib.12.*

Guidone Lufignano Rege Cypri defuncto, regnum Almericus frater accepit: qui Iſabella vidua Henrici Campaniæ comitis (quæ regni Hieroſolymitani jus hæreditarium à Balduino IV, fratre habebat) in uxorem ducta, regni Hieroſolymæ titulos, ſimul & Tyri, Prolemaidæque principatum accepit. Cùm autem Almericus Rex frigidè rem adminiſtraret, Latini in Aſia ardentes, eo depoſito, Joannem de Brenna, celebris famæ militem, ex Galliis vocavere. Qui cum multis copiis Conſtantinopolim delatus, Jolen, filiam Conradi Montiſferrati marchionis, & Hieroſolymæ regis (cui Iſabella ante Henricum nupſerat) uxorem duxit, cum qua Tyri coronatus eſt, & nuptiæ pompa regia celebratæ. Qui anno 2221. cùm Chriſtiani, Damiata Sultano reddita, domum redirent, Romam venit, & acceptis muneribus ab honorio Piſas ſe contulit: & Friderico II. Imp. filiam, quam ex Jole defuncta ſucceperat in matrimonium deſpondit, jus, quod in regno Hieroſolymitano ſi-
C bi competebat, dotis omine donans. Hinc Reges Neapolitani Hieroſolymæ quoque ſe Reges appellant. *Blondus lib.7. Decad.2.*

Apud Ruthenos civitatem permaximam eſſe tradunt, Novogardiam appellatam, ad quàm Teutonici mercatores magno labore perveniunt. Magnas ibi eſſe opes fama eſt, & multum argenti, pelleſque preciosas. Appenſo argento, non ſignato utuntur. In medio urbis foro lapis quadratus eſt, in quo Rex, & quidem ſtans jus populo dicit: ſed raro regia poteſtas in annum apud unum manſit, ſæpè in unam diem duo, treſve regnavere. Surgit enim ex populo, qui clientelis ſe ſatis armatum exiſtimat, regnumque deturbans lapide, locum ejus invadit, ibique è veſtigiò Rex ſalutatur. Haud abſimilem & ipſe caſum ſubit, ſi quis ſe fortior adventarit regni cupidus. *Æn.Syl.in Panorm.lib.2.cap.27. Europæ.*

Cæde aliorum.

☞ *Vide Titulum: Regnandi libido.*

Ildobaldo Gothorum in Italia Rege cæſo, Rugi, qui & ipſi cum Gothis erant: reliqui invitis Gothis, Aratcum regem extulerunt. Baduillas autem cognomento Totilas, Ildobaldi nepos miſit Ravennam ad Conſtantianum ducem Juſtiniani, tra-
D diturum ſe Tarviſium pollicens, ſi ſibi, & comitibus ſuis ſalus præberetur. Cui Conſtantinus jurejurando ſe fidem præſtiturum reſpondit. Re compoſita, dies indicta eſt, qua milites Conſtantiani Tarviſium recederentur. Gothi verò Aratici imperium iniquo animo ferebant, ut qui bello cum Romanis gerendo parum idoneus eſſet, ac magnarum rerum occaſionem interpellaſſet. Itaque omnes uno animo ad Totilam Tarviſium mittunt, eumque ad Regnum ſuſcipiendum accendunt, ſperantes ſe, illo Regnum obtinente, Italiam poſſe recipere. Quibus Totilas reſpondit, ſe defectionem ad Romanos conſtituiſſe: ſi verò Aratricum in tempore ſuſtuliſſent, illorum voluntatem non negleſturum eſſe. Quibus rebus auditis, Gothi Aratico inſidias compararunt. Romanis interim quieſcentibus, & Gothos quieturos arbitrantibus, neque propterea in eorum actiones obſervandas intentis. Aratricus Gothos convocavit, & ad pacem hortatus, ut ad Juſtinianum de prioribus conditionibus confirmandis mitterent, auctor fuit, atque ex eorum conſenſu legatos miſit, ſpondens, ſi ſe Patricium faceret, totam illi Italiam traditurum. Legatis autem profectis, Gothi, Aratico per dolum extincto, regnum ad Totilam detulerunt. *Sigon.lib.18.Imp.occid.*

E

OCCASIONEM, MAGISTRATUM ADEPTI causa.

Eruditionis, Sapientiæ.

Apud Perſas, rex nemo fieri poterat, niſi qui majorum diſciplina imbutus eſſet. *Alex.lib.4.c.23.*

Virtutis.

Græci, qui Pontum incolunt, narrant, Herculem Geryonis vaccas argentem, cùm in Scythia obdormiſſet, eas amiſiſſe, & vix tandem in terra Hylea inveniſſe in antro cujuſdam virginis, quæ pubetenus fœmina erat, infernè ſerpens. Cùm ea Hercules rem habuit. Concepit illa ex eo tres filios. Abiens Hercules arcum ei reliquit, & baltheum, in cujus commiſtura aurea erat phiala: ut quicunque ex filiis tribus arcum intendere poſſet, & baltheo præcingi, is Regnum Scythiæ obtineret. Adultis jam filiis mater arcum proponit. Et Agathyrſus quidem, & Gelonus à matre fuerunt amandati. Scythes verò natu minus arcum intendit, & regnum occupavit, à quo regio
F ea Scythia fuit dicta. Et ab eo baltheo Scythæ ad hunc uſque diem phialas in baltheis ferunt, tanquam nobilitatis inſigne. *Herodotus lib.4.*

Gratianus Imp. cùm animavertiſſet Thraciam, ac Daciam à Gothis, Taiphalis, Triballſque vaſtari, ab Hunnis, ac Alanis periculum Romano nomini maximum imminere, in Pannoniam veniens, accitum ab Hiſpania Theodoſium, ingentis animi, & pietatis virum, Magiſtrum militum fecit, & cum exercitu contra Barbaros miſit. Quos ille cæde, ac ferro diſecit, repulitque: & properè ſui triumphi ipſemet nuncius Barbaros trans Iſtrum fugatos Imperatori indicavit. At obtrectatores ipſum in fugam verſum, amiſſis copiis, mentiebantur. Miſſi exploratores, multa millia Barbarorum cæſa renuntiarunt. Ergo Gratianus Theodoſium conſortem imperii fecit conceſſa illi purpura apud Syrmium, cùm tertium, ac triceſimum ageret ætatis annum, tradito illi Oriente, cum Thraciæ imperio. Theodoſius nocte, quæ præceſſerat, in ſomnis videbat, ſe ab antiſtite Antiochenſi chlamyde veſtiri, & corona G
ornari. *Cuſpianus.*

Braſilienſes nullius Regis imperio ſubiiciuntur. Cùm tamen bellum inter eos exoritur, cum Ducem eligunt, quem omnium fortiſſimum, & in bellis gerendis acerrimum fore credunt. *Oſorius lib.2.rerum Emmanuelis.*

Meritorum.

P. Scipioni Africano, ab expeditione ad urbem reverſo, conſulatum detulerunt Romani: non quo ei gratificarentur, verùm quò illius opera maturè, & facilè potirentur Carthagine. *Plut.in Apophegm.*

P. Scipio Maſiniſſam, victo Syphace Rege, & capto, pro concione regem appellavit, appellatum aurea corona donavit, patera aurea, curuli ſella, & ſcipione eburneo, toga picta, & tunica palmata, triumphalibus ſcilicet ornamentis, quo honore nullus tum major fuit apud Romanos. *Sab.lib.5. En.5.*

Conſtantino Rege Scotorum in acie cæſo, Grimus Duffi Regis nepos ex Kennetho fratre, Thano Atholiæ. Conſtantiniani exercitus reliquiis collectis, Sconam adiens, ſeſe Scotorum Regem multitudine probante, declaravit. Juvit eum Duffi felicis, & innocentis memoria, cùm ſibi perſuaderent omnes, H
Grimum in patrui mores optimos abiturum. Erat præter hæc corporis forma inſigni. Cæterùm regno firmato, ex optimo, & liberaliſſimo, crudeliſſimus, & avariſſimus evaſit. Deſertus itaque à ſuis, à Malcolmo Cumbriæ Principe acie victus dolore contabuit nono Regni anno. *H.Boerh.lib.11.*

Ludovicus I. Dux Bojorum, à Friderico II. Imperatore Rhenum Ducatum, quem Palas vocant, anno Salutis 1215. officii, ac ſingularis obſequii ergo impetravit, atque in fidem, accepit. Dumque eò proficiſcitur, atque incautiùs oppida, caſtra, urbes vindicat, ab incolis cum omnibus comitibus captus maximo pecuniæ numero, quam viritim Boii tribuere, ſe redemit. Tandem à Rhenanis receptus eſt. *Aventin.lib.5.Annalium Bojorum.*

Clementiæ.

In Taprobana inſula Rex eligitur à populo fenecta, clementiaque inſignis, liberos non habens: & ſi poſteà gignat, abdicatur, ne fiat hæreditarium Regnum. Rectores, ei à populo xxx. dantur. *Plin.lib.6.c.22.*

Aloyſio Molino Procuratore demortuo, Veneti Marcum filium

filium in patris locum ſtatim ſubrogarunt, quòd nuſquam an-
A tè alicui contigerat, ob eam æquanimitatem, quòd fratris necem, quem Marchus Michael occiderat, ob patris interceſſionem non ulciſceretur: ſed & Marcum perpetuo exilio damnatum à Decemviris patriæ reſtitui ſupplex, & obnixè peteret. *Egnatius lib.4.c.1.*

Stupri, Adulterii.

Emmanuel Imp. Conſtantinopolitanus, humili loco natus, Triphonque vocatus à pueris, primoribus civitatis muliebri conſilio interfectis, imperium adeptus eſt. Fuerat hęc Alexii Principis uxor, cujus Trypho conſuetudine tenebatur. Quo accidit, ut poſt viri interitum nobilium cæde adultero imperium aſtruxerit. *Sab.lib.5.Enn.9.*

Formæ, Roboris.

In Meroe nemo ſummum gerebat imperium, niſi qui prævalido corpore cæteris anteceelleret. Gordii Regem quàm obeſum, & præpinguem eſſe voluere, quòd ex corporis mole animi indolem dijudicarent. *Alexander.*

Apud Medos, qui viribus excelleret, præcipuoque robore
B cæteris emineret, jure gentis, Rex eligebatur: & in Libya ſolùm qui citiſſimo curſu valeret. *Alexander.*

Apud Catheos, Indicam gentem, qui inſignis corporis forma cæteris anteiret.

Æthiopes, ſi quando regiæ ſtirpis vir deeſſet maximarum virium, quique opibus, & robore præcelleret, Regem eligebant. *Alexan.lib.4.cap.23.*

Erat Antiochiæ mulier quædam Phœniſſa, ex urbe Emeſa, Julię illius ſoror, quæ priſcis Severo Principi, mox & Caracallæ privigno nupſit. Huic duæ erant filiæ, Sœnis & Mammea. Alexianus huic erat filius, qui poſteà Alexander dictus eſt, illi Baſſianus, ambo Solis ſacerdotes, ovem Phœnices Heliogabalum dicunt. Baſſianus annos jam quatuordecim natus, forma adeò eleganti erat, ut Baccho ſimillimum multi puerum prędicarent. Erat is quotidie in oculis Romanorum militum, qui in Phœniciæ finibus habebant caſtra, manuſque fiebat ad templum concurſus pueri viſendi ſtudio, conciliabatque illi militarem favorem forma, ſed multò majorem Meſæ maternæ aviæ teſtimonium, quæ dubium mentita, an quòd ita eſſe exiſtimarit, Baſſianum ex Caracalla genitum inter milites prædicabat, qui eo tempore, quo ipſa, Severo Principe, apud Juliam
C ſororem ſuam Romæ fuiſſet, Sœnim filiam adhuc virginem vitiaſſet, vitiatamque prægnantem reddidiſſet. Euſebius non Sœnim, ſed Sœniam vocat. Res temerè credita, militum animos incendit ad imperium puero demandandum. Augebat id ſtudium Caracallæ memoria militibus gratiſſima, nec non ſpes auri, quòd Meſam diutiſſimè in principis avia verſatam poſſidere rumor erat. Id aurum anus, & quaſcunque congeſtas haberet opes profuſura putabatur, ut nepoti imperium adſtrueret. Hæc milites ſecuti, illum in caſtra perductum, Imperatorem conſtituere, & Macrinum Caracallæ interfectorem acie victum interemere *Sab.lib.6.Enn.7.*

Generis, Nobilitatum.

Apud Chatramotitas Arabes ſuccedit in regno non filius patri, ſed qui primus è nobili genere poſt conſtitutum Regem naſcitur. Nam ſimul ac aliquis in imperio conſtitutus eſt, omnes nobilium virorum uxores prægnantes conſcribuntur, & cuſtodes apponuntur, qui obſervent, quæ prima pepererit. Nam ejus filius ex lege aſſumitur, & ad regni ſucceſſionem regaliter educatur. *Strabo lib.16.*

Sidonii nemincm, niſi de regia ſtirpe, & familia natus eſſet,
D regnare patiuntur. Apud Sabæos, primus ex nobilioribus jure gentis ad ſucceſſionem regni aſpirat. *Alex.lib.4.c.23.*

DIGNITATEM PRÆCEDENTEM.

Quam vel.

Conſequuntur diverſis.

Locis.

L. Fulvius Tuſculanorum rebellantium conſul, eodem honore, cùm tranſiiſſet, exornatus confeſtim à populo Romano: adeòque ſolus, eodem anno, quo fuerat hoſtis, Romæ triumphavit ex iis, quorum conſul fuerat. *Plin.lib.7.c.43.*

Temporibus.

☞ *Hucjilli, qui diverſos magiſtratus ſuo quemque tempore ſunt conſecuti.*

C. Marius I. Romanorum omnium Septies conſul, vir acri ingenio, & ad rem bellicam potius, quàm urbanam, quæſito, difficile dicto, paludatuine magis utilis patriæ fuerit, an perniciosus in toga. *Sab.lib.3.En.6.*

Non conſequuntur, ſed majorem poſt adipiſcuntur. B

L. Æmilius Paulus aliquoties fruſtrà conſulatum petiit. Idem poſt, cùm jam campum repulſis ſuis fatigaſſet, bis Conſul, & Cenſor factus eſt, ampliſſimum etiam dignitatis gradum obtinuit: cujus virtutem injuriæ non fregerunt, ſed acuerunt, quoniam quidem nota ipſa accendam cupiditatem ſummi honoris ardentiorem ad comitia detulit, ut populum, quem nobilitatis ſplendore, & animi bonis movere non potuerat, pertinacia vinceret. *Val.lib.7.c.5.*

C. Marius curulis, & plebejæ ædilitatis repulſam paſſus una die, ſepties deinde conſul factus. *Alex.ab Alex.lib.4.c.4.*

L. Sylla divitias, & imperia largitus eſt, leges vetuſtas abrogavit, novas tulit. Et hic tamen in eodem campo, cujus poſteà Dominus extitit, repulſa præturæ fugillatus eſt. *Val.lib.7.c.5.*

Veſpaſianus quinquies repulſam ædilitatis tulit, tandem Imperator evaſit. *Alex.lib.4.c.4.*

Non potuit non mirari Veneta civitas, eiſdem comitiis Nicolaum de Canali, virum alioqui clarum, & literis, & aliis multis animi dotibus, ſed maritimæ rei haud ſanè ſatis peritum, præpoſitum fuiſſe Petro Mocenico, qui adverſus Turcas Imperator contenderet. Quem poſteà, Chalcide amiſſa, cum ſum-F
ma ignominia revocarunt, ipſumque Petrum in ejus locum præfecerunt: qui multis, præclariſque geſtis domum reverſus, Dux poſteà jure optimo declaratus eſt. *Egnat.lib.7.c.4.*

QUA CÆREMONIA.

☞ *Conſule locum Inſignium regni, imperii, Illic Nota, hic Res notata perpenditur.*

Iſraelitæ Regis eligendi hanc habebant rationem, ex Domini præſcripto. Eum creabant, quem Dominus elegerat, Iſraelitam, non alienigenam. Ei multos equos habere interdicebatur, ne propter equorum multitudinem populum reduceret in Ægyptum, hoc eſt, occaſionem eis daret cum Ægyptiis converſandi, qui equis abundabant. Multas uxores, argenti, aurive multum habere prohibebatur, ne animo deflecteret: Cùm in regni ſolio conſedi ſtlet, legem à Levitis in libro exſcribi, & apud ſe habere, eamque legere, & obſervare jubebatur, ne contra conſanguineos ſuos animo inſoleſceret, ſed juſtitiam
& pacem tueretur. *Deut.17.* G

Rex Perſarum electus, Paſargadas pergit, ut ſacris togis inauguretur à Sacerdotibus Perſicis. Delubrum eſt Deæ bellatricis, quam Minervam coniicias eſſe. Eò ingreſſum, qui inauguratur, ſtolam ſuam oportet ponere, & inducere eam, quam Cyrus priſcus priùs, quam regno potiretur, geſſit: & ficorum maſſam eſſe. tum terebinthum vorare, & calicem hauſire lactis acidi. An quæ præterea alia agant, cæteris eſt obſcurum. *Plut. in Artaxerxe.*

Scriptores Mediolanenſes, patratos ſequuti annales, aſſerunt Agilulpho Longobardorum Regi coronam impoſitam fuiſſe, à Theodelinda Regina inſtitutam, auream illam quidem, verùm circulo ferreo interiore intextam. Unde poſt ferreæ coronæ nomen Italico Longobardorum in regno enituit, *Sigon.lib.1.regni Italici.*

Ritum inaugurandi Imperatores Conſtantinopolitanos, *pete ex Paulo Diac.lib.23.rer.Rom.* Imperatoris clypeo inſidet is, qui imperio deſtinatur, ac pedibus primùm inſignibus ornatus, & manibus, imperatoris hymnis, & plauſibus ab omnibus celebratur. *Pachymerius.*

Ludovicus Baldus, Calvi F. à Richilde noverca tabulas patris accepit, quibus ille Regnum ſibi Franciæ tradebat, & en-H
ſem S. Petri, per quem ſe Regem inſtituebat, & regiam veſtem, & coronam, & ſceptrum auro, gemmiſque preciosis diſtinctum, atque ita magno Epiſcoporum, procerumque conſenſu Rex ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo conſecratus, & coronatus eſt, an. 877. *Sigon.lib.5.regni Ital.*

Gondebaldus Burgundiorum Rex, cùm relicta gentilium ſuperſtitione, verum Dei cultum reciperet, ac à Remigio Rhemenſi Pontifice ex aqua luſtraretur: oleo quoque, quòd à columba cælitùs allatum fuit, ut rumor eſt, ungitur. Ex eoque mos durat, ut Francorum Reges, cùm honoris inſignia accipiunt, eo ungantur. *Ritius lib.1.de Regib. Francorum.*

Philippus Valeſius anno 1328. Francorum Rex ſalutatus, ſacratuſque, quanta non alius multis ſæculis celebritate, frequentique procerum cœtu. Poſt Rhemenſia ſacra ad Dionyſii Pariſiorum venit, ac ibi quoque caremoniis ſolemnibus peractis, ſacerdotio civitatis ſacris inſignibus velato, nec non liberalium

liberalium artium Doctorib. Muſæique ſcholaſticis ad portas
A opperientibus : ad hæc patribus in purpura, decurionibus
cum bicolore veſte : nec non auctoribus ſummarum extra
portas, continentiaque, ac ſuburbana ædificia in equis oc-
currentibus : ipſe Rex cùm Regiæ ſtirpis, inclitarumque fami-
liarum proceribus, reliqua etiam nobilitate, & ipſa maxima
ex parte torquata, & ſagulis virgatis, auroque intertextis,
equiſque magnificentiſſimè inſtratis, excultiſque, urbem Re-
giam ſub ſacra umbella intrans, excipitur, lætis, fauſtiſque omi-
nibus, plauſuque, omni ordine, omni ætate proſperum, fe-
licemque ingreſſum apprecante : viis (ut tempus anni fere-
bat) flore multo, feſta fronde, virente herba ſtratis : ſupernè
velis umbraculiſque honeſtantibus : aulæorum magnificen-
tia, varietateque, ac picturarum, tabularumque artificio exte-
rioribus domorum parietibus veſtitis, plendidiore mulierum
è feneſtris ſpectantium, ſeque ſpectandas præbentium, quàm
virorum cultu. Nulla lætitiæ ſpecies, nullum dignitatis exem-
plum non excogitatum, non adhibitum. Ita in Inſulam ad
ædem maximam deductus, ac Divam virginem veneratus, in
B Regiam ſe contulit. Adventitia (ut aſſolet) cœna regifico ap-
paratu accubuere Principes, illuſtreſque viri. Omnia quidem
ſolemni more, inſtitutoque : ſed hunc Regem præcipua cha-
ritate, obſervantiaque proſecuti, prædicabant eum vindicem
Franciſcæ majeſtatis, legis Salicæ aſſertorem : qua una, digni-
tas, libertaſque Franciſci nominis conſtaret, ne alienigenarum
imperio, ne externorum ditione teneri poſſent Franciſci, cæteris
gentibus Reges, legeſque dari ſoliti. Veſpertino igni in areis
plateiſque accenſo, nocturnis funalibus concurſantibus collu-
cente, choreis virginum, juvenumque ſymphonia, voce, fidi-
bus, ſiſtris, tibiis, urbe perſtrepente, feſti dies acti. *Æmil. l. 8.*

Victo, captoque Rege Deſiderio, & Longobardis omnibus
in fidem, ac deditionem acceptis, Carolus Magnus regnum
Italicum ſibi jure victoriæ vindicavit. Quod ut novo præte-
reà jure ſanciret, vetus, ut putabatur, Pontificis Gregorii de-
cretum adhibuit. Quippe Modoeciæ ſe per Archiepiſcopum
Mediolanenſem corona redimiri ferrea voluit, atque, ut ita
apud poſteros obſervaretur, inſtituit. Ea res maxima fieri
cæremonia conſuevit, quæ in Rituali antiquiſſimo continen-
tur, qui Ordo Romanus vocatur. Perducto ſcilicet per Epiſ-
copos ex cubiculo in templum, atque ad aram maximam Rege,
C Archiepiſcopus poſt ſolemnes aliquot precationes effuſas po-
pulum alloquutus interrogabat, num ſe tali Regi ſubiicere,
atque illius mandatis, & juſſionibus conſtanti fide vellet ob-
temperare? ubi verò populus ſe velle reſponderet. Regis ca-
put, pectus, ſcapulas, atque ipſas brachiorum compages oleo
ſancto ungebat, Deum orans, ut & in bello gerendo, & in
ſobole propaganda votis ejus annueret. Ornato inde enſe, ar-
millis, pallio, annulo, & ſceptro, coronam imponebant, &
per Chorum ductum in ſolio collocabat, atque oſculo pacis
oblato, divinam inde rem faciebat. Hæc tum Thomas Me-
diolanenſis Archiepiſcopus egit. Ex quo tantum ei Eccleſiæ
ſplendoris accrevit, ut in poſterum contendere de dignitate
cum Ravennate non dubitarit. *Sigon. lib. 4. regni Ital.*

Carolum Mag. ob everſum Longobardorum regnum, &
Exarchatus ſimul, & Pentapoleos donationem Romanæ ſe-
di facta Leo III. Pp. Imperatorio titulo ornare inſtituit,
ann. 801. Ubi dies Natalitiorum advenit, Carolus ſummo
mane Vaticanam baſilicam adiit, atque ad Confeſſionem
progreſſus, ſolemnem Dei obſecrationem inivit. Qua per-
fecta, Pontifex, qui ex compoſito aderat, chlamydem
Auguſtalem, & coronam auream pretioſiſſimam, quam de
induſtria comparaverat, ei impoſuit. Quo facto, po pu-
D lus univerſus ter voce clariſſ. lætiſſimus acclamavit: Ca-
rolo Auguſto, à Deo coronato, magno, & piiſſimo Im-
peratori Romanorum, vita, & victoria. Deo inde, diviſ-
que ritè in auxilium invocatis, Imperatorius ille titulus
à populo confirmatus eſt. Populari inde acclamatione fe-
data, Pontifex patrem Carolum, & filium Pipinum ad-
ſtantes, illum Imperatorem Romanorum, hunc Regem
Italiæ oleo ſancto perunxit, ac deinde ſacris conficiendis
ſe tradidit. Quibus abſolutis, Carolus unà cum Pipino
baſilicæ Vaticanæ abacum argenteum, & diverſa vaſa ex
auro puriſſimo fabricata ad uſum abaci obtulit: Latera-
nenſi verò crucem eximiam, ex Jacinthorum gemmis con-
flatam, quàm Leo in ſupplicationibus præferri, Carolo obſe-
quutus, inſtituit. Hunc dignitatis Imperatoriæ titulum, cùm
in Momyllo Auguſtulo ultimo Occidentis Imperatore ante
trecentos fermè annos ſub regnum Gothorum in Italia defe-
ciſſet, in eodem Occidente Pontifex renovavit, ut haberet
Eccleſia Romana adverſus infideles, hæreticos, ac ſeditioſos,
tutorem, cujus officium repudiaſſe jampridem Imperator
Orientis videretur. Indicat hoc ipſius jurisjurandi formula, E
quo Pontifex Imperatorem, coronam impoſiturus, obſtrin-
xit, quæ in antiquiſſimo commentario, qui Ordo Romanus
dicitur, memoratur. In nomine Chriſti ſpondeo, atque polli-
ceor ego N. Imperator, coram Deo, & B. Petro Apoſtolo,
me protectorem, ac defenſorem fore hujus ſanctæ Romanæ
Eccleſiæ, in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fue-
ro adjutorio, prout ſciero, poteroque. His actis, Carolus ab-
jecto Patricii titulo, Imperatorem ſe Romanum, atque Augu-
ſtum inſcripſit. *Sig. lib. 4. regni Ital.*

Ludovicus Bavarus, Romanorum Rex, victo Friderico
Auſtriæ Duce æmulo, vocatus venit in Italiam, exceptuſ-
que perbenignè à Gibellinis, qui partes fovebant Impe-
rii, pervenit Romam, excipientibus cum proceribus Roma-
nis ſolemni apparatu. Habebant autem primores Romani
Magiſtratum, quem appellavere Vicariatum, quem tum
Stephanus Columna gerebat. Is à Clero, & populo inter-
pellatus, coronam Ludovico dedit imperialem. *Grantz. lib.
9. Saxoniæ, cap. 15.*

Imperii, & regni Italici, & Germanici ſuſcipiendi jam in- F
de ab Othone I. ratio fuit hujuſmodi. Mortuo Rege, Prin-
cipes, Epiſcopique Germaniæ Aquiſgrani convocati legitimis
ſuffragiis Regem aliquem ex ſuo corpore deſignabant: deſi-
gnatum verò in ſolio Caroli Magni locabant, quod erat in
aula baſilicæ D. Mariæ ab eo conſtructæ, atque ſinguli apud
eum ſacramenta dicebant. Ex aula inde in baſilicam deſcen-
dentem Archiepiſcopus Mogunt, cum Clero occurrens exci-
piebat, ac populo, qui frequès honeſti ſpectaculi cauſa circum-
ſtabat, Regem à Deo, & Principibus lectum oſtendebat. Po-
pulus porrectis manibus, ac clamore ſublato novo Regi fau-
ſta, ac proſpera omnia precabatur. Inde Antiſtes cum Rege
progrediebatur ad aram, ſuper quàm Regia poſita inſignia
erant, atque ei primùm gladium cum baltheo, deinde armillas
cum chlamyde, tum ſceptrum cum baculo porrigebat, ac de-
mum oleo ſacro perfuſum corona impoſita conſecrabat, inde
excelſo inter duas columnas in ſolio collocabat, unde facilè
ab omnibus videri, atque ipſe videre omnes poſſet: ac divina
laude cantata in Regiã adducebat. Ibi Rex ſolemne, cum Epi-
ſcopis, ac Principibus epulum celebrabat, atque ſingulos pro
cujuſque dignitate donabat. Cæterùm coronam Germanicam
in omnibus commentariis argenteam fuiſſe invenio. Luitpran- G
dus etiam auream fuiſſe negat: at auream prodit, qui hujus to-
tius ceremoniæ eſt auctor, Vitichindus. Conſecrationis au-
tem jus ad Moguntinum Antiſtitem, qui Germaniæ Metropo-
litanus, & regni Cancellarius erat, delatum eſt, quamvis Tre-
virenſis id munus ſibi vindicaret, quòd Eccleſia ſua cæteris an-
tiquitate præſtaret: Colonienſis verò, quòd ea conſtratio in
ſuis finibus ficret. Rebus inde Germaniæ per ſolemnes con-
ventus compoſitis, ad regnum Italiæ ſuſcipiendum veniebat.
Ubi verò venturus erat, nuncios præmittebat more jam tum à
Francis inſtituto, qui civitatibus adventurum Regem nuncia-
rent, ac ſacramenta repeterent, & fœdera exigerent, aliaque ad-
venienti Regi debita officia indicerent. Italiam autem ingreſſus
recta Mediolanum adibat. Ibi verò condicto die in Ambroſia-
nam ædem procedens, Archiepiſcopo rem divinam facienti,
regiis depoſitis veſtibus, ac Subdiaconi ſumptis, miniſtrabat.
Qua re ritè perfecta, Archiepiſcopus ſacro ipſum oleo inun-
gebat, atque ad reliqua inſignia ferream ei coronam impone-
bat, ipſum ſolemni adigens ſacramento, ſe Italiæ jura in perpe-
tuum pro viribus tutaturum. Tum verò omnes magiſtratus, at-
que omnes dignitates vacabant in civitatibus. Rex autem ad-
hibito Colonienſi Archiepiſcopo, qui regni Italiæ Cancella- H
rius erat, ex legum ſcitis, & juriſconſultorum judicio de rebus
omnibus cognoſcebat. Itaque ad Padum deſcendens, in cam-
po quodam, qui Roncaliæ dicebatur, non longè à Placentia
conſidebat, ibique caſtra in hunc modum faciebat. Loco, aut
natura plano, ſi inæqualis eſſet, manu, atque opere complana-
to vallum in orbem, aut in quadrum ducebatur. Fabrorum,
opificum, ac mercatorum turba ad uſus neceſſarios ſequens
exercitum, cum ſuis tentoriis, & tabernis, ſi quadrata erant ca-
ſtra, ſuburbiorum, ſi rotunda, muri exterioris ſpeciem afferre-
bat. Intra caſtra vicis aptè diſtinctis vias dirimebant, plateaſ-
que, & portas effingebant, ut quaſi urbs quædam repentina
exiſteret. In medio Regis tabernaculum locabatur, templo
ſimillimum, circaque Principes, ut quiſque dignitate præſta-
bat, tentoria ſua figebant. His caſtris locatis Rex ad ſtipitem
præaltum ſcutum ſuſpendebat, eoque omnes feuda habente
ad excubias Regi ex inſtituto agendas per præconem publi-
cum evocabat, eademque ratione, qui in comitatu Principes
erant,

erant, ſinguli ſingulos ſibi addictos valvaſores citabant, po-
A ſtridie, qui non aſſuiſſet, feudo mulctabatur. Inde con-
ventu inſtituto civitatum legatos vel gratulantes excipiebat,
vel excuſantes, aut expoſtulantes audiebat, atque eorum con-
troverſias juriſconſultis adhibitis cognoſcebat, ac leges, ſi
erat opus, ferebat. Erat autem moris, ut primos dies in jure-
dicendo conſumeret, alteros paci inter civitates conſtituendæ
dicaret, extremis jura feudorum cognoſceret, ac novis legi-
bus ſtabiliret. Conventu peracto Romam ad tertiam Impe-
rii Romani coronam accipiendam ipſo Archiepiſcopo ſeduc-
cente pergebat, ſingulæ in itinere civitates cum faculis, & fau-
ſtis clamoribus occurrentes, debita obſequiorum officia eni-
xè præſtabant, ſin minus, aut pecunia, aut privilegiis mul-
ctabantur, aut armis ad officium redigebantur. Ubi Romam
acceſſerat, relicto in pratis Neronianis exercitu, ipſe cum ho-
neſto procerum comitatu Leoninam urbem ingrediebatur,
atque ad Pontificem, qui ipſum ex compoſito in gradibus
baſilicæ Vaticanæ opperiebatur, adorandum veniebat, at-
que ad Confeſſionem S. Petri deductus, ſupplicem ad eum
orationem habebat. Pontifex ſacris operatus ipſum ab Epiſ-
copo Mediolanenſi oblatum, ac Diaconi vice functum, F
B ſacro oleo perungebat, digito annulum inſerebat, enſem
nudum tradebat, & capiti corona aurea impoſita ſceptrum
Imperatorium porrigebat. Ille tactis ſacris Evangeliis perpe-
tuum, ac conſtantem ſe fore Romanæ Eccleſiæ, ac totius
Reipublicæ Chriſtianæ defenſorem novo Sacramento ſe obli-
gabat. Deinde ab utroque ad baſilicam Lateranenſem adiba-
tur, atque ibi reliquum ceremoniarum abſolvebatur. Itaque
ab hoc tempore, qui Rex Germaniæ fuit, idem etiam regnum
Italiæ, & Occidentale Imperium tenuit, ac propterea tres co-
ronas accepit: unam Germaniæ argenteam, Aquiſgrani ab
Archiepiſcopo Moguntino: alteram Italiæ ferream Mediolani à Mediolanenſi: tertiam Imperii auream Romæ à Pon-
tifice; neque ante Pontificis conſecrationem Auguſti, aut
Imperatoris nomen uſurpavit, ſed Rex Germaniæ, atque
Italiæ, ſive Rex Romanorum, & Imperator deſignarus ap-
pellatus eſt. Annos autem regnorum, atque Imperii à diebus
numeravit, quibus coronas Aquiſgrani, Mediolani, & Romæ
cepiſſet. *Sigon. lib. 7. regni Ital.*

Cœleſtinus II. Henricum VI. coronavit in Imperatorem
ſub hac forma: in primis recepto ab eodem juramento ante
gradus Eccleſiæ Romanæ, quòd Eccleſiam Dei defenderet, G
C ejus jura conſervaret, rectam juſtitiam teneret, patrimonium
Petri, ſi quid ablatum fuerit, pro poſſe revocaret. Et contrà
Papa in cathedra ſedens coronamque Imperialem manibus
tenens, inclinato capiti Imperatoris impoſuit: quam tamen
ſtatim pede in terram excuſſit, deſignans per hoc, quòd ipſe
Papa haberet poteſtatem creandi Imperatorem, ſi meruerit,
& deiiciendi, ſi demeruerit. *Ranulph. lib. 7. cap. 26. in
Polychronico.*

Aureæ bullæ. Caroli IV. hæc inter alia ſunt capita, ut Mo-
guntinus Archiepiſcopus Cæſaris mortem reliquis Electori-
bus denuntiet, & diem conſtituat, ut intra tertium menſem
Francofurti præſto ſint ipſi, vel ipſorum legati, cum plenis
mandatis, novi Cæſaris, aut Romanorum Regis eligendi cau-
ſa. Quòd ſi Moguntinus negligat, cæteri collegæ nihil ſecius
intra tempus illud conveniant, & comitatum habeant ſingu-
li non ſupra ducentos equites, cùm oppidum ingrediantur,
& in his armatos ad quinquaginta. Qui nec ipſe venit, ne-
que legatum etiam mittit, aut ante confectum negotium di-
ſcedit, jus electionis, eo quidem tempore, amittat. Magi-
ſtratus Francofurtenſis omnem fidem Electoribus præſtet,
D ac durante comitio, neminem præter Electores, ipſorumque
familiam intromittat. Ubi convenerint omnes, in æde D.
Bartholomæi ſacrum fiat, quo Sancti ſpiritus imploretur
gratia: deinde ſinguli jurent, verbis præcunte Moguntino,
nihil ſe facturos in ea re ullius vel pacti, mercedis, vel lar-
gitionis, vel pollicitationis cauſa: poſt, ad actionem ve-
niant, neque priùs illinc diſcedant, quàm creato Cæſare.
Quòd ſi res ultrà trigeſimum diem differatur, omnibus aliis
detractis cibariis, præter panem, & aquam nihil eis detur.
Quem major pars elegerit, hic eodem loco ſit, ac ſi com-
munibus omnium ſuffragiis, nemine repugnante creatus eſ-
ſet. Ad hunc modum deſignatus Cæſar, omnium primò
confirmet Electoribus omnia privilegia, & quidquid ad ip-
ſorum dignitatem, decus, libertatem, ac immunitatem per-
tinet. Deinde ad Aquas Grani, Belgiæ oppidum, prima
fiat inauguratio.

Conradus II. in Italiam veniens magno honore Mediola-
num intravit, ac Regium ab Archiepiſcopo diadema ſuſcepit.
Inde Modoetiam progreſſus, ibi iterùm coronari ſe, vetere
renovata conſuetudine, petiit, & cùm id neceſſarium eſſe E
Herebertus Archiepiſcopus negaret: ſe Caroli Magni, & po-
ſterorum ejus exemplo promoveri reſpondit. Conradum in-
de imitati poſteri, ac ſucceſſores ejus plerique, Modoetienſem
quoque coronam appetiverunt, quam coronam Mediolanen-
ſes invidia perciti, ad contemptum, Palearem vocarunt. Poſt
etiam Romæ coronatus fuit. *Sigon. lib. 8. regni Ital.*

Rudolphus I. Romanorum Rex, cùm poſt factam de ſe
electionem in Bopardia urbe Rheni maneret, lancea Impe-
rialis Dominica cum corona illi præſentata fuit, eaque non
longè poſt Aquiſgrani ſolemniter coronatus eſt: quod nulli
Regum à memoria D. Caroli fertur contigiſſe. Nam argen-
team ibi primam ex conſtituto ſolet accipere coronam. Ferunt
teſtatum eſſe, quàm ſanctè à gravibus viris, coronationis tem-
pore viſam auream crucem ſupra Eccleſiam ſanctiſſimæ Vir-
ginis, in qua miniſterium implebatur; idque Lugduni coram
ſummo Pontifice, & patribus in concilio expoſitum. *Crantzius lib. 8. Saxoniæ, c. 30.*

Diva Margarita Scotorum Regina, vivens id ab Urbano
Pontifice Maximo impetravit, ut exinde Reges Scoti inun-
gerentur. Fuit eorum omnium Edgarus primus, qui in Scotia F
Reges unctione ſacra ſanctificati ſunt, anno à Redemptoris
adventu 1101. Confirmavit id poſteà Joannes XXII. Papa.
H. Boethius lib. 12.

Uladislaus Bohemiæ, & Hungariæ Rex, cùm Albertum fra-
trem, Joannem Mathiæ Corvini nothum, & Maximilianum
Cæſarem æmulos viciſſet, regali Alba recepta, Regium in illa
diadema ritu ſolemni ſuſcepit. Viſuſque eſt, non ſolùm de
vivis competitoribus, ſed de Mathia quoque ipſo Bohemię re-
gni æmulo quantumvis mortuo triumphaſſe. Deficiente nam-
que regni vexillo, quod Regi inter coronandum offerri ſole-
bat, detractum eſt Mathiæ vexillum ſupra ſepulchrum ejus
ſuſpenſum, illudque in manus Uladiſlai velut triumphantis
traditum. Egreſſus templo vix prandium abſolverat, cùm ba-
juli in ordinem compoſiti, ſcyphos, phialas, pateras, & alia
vaſa præclaro opere, grandique pondere inſignia, & nonnulla
ex iis aureis nummis plena, manibus geſtarent, ut illa pro
munere Dominorum ſuorum nomine Regi offerrent, quibus,
poſtquam menſæ, & ſcamna eſſent ornata, innuit Rex uni, &
alteri è proceribus Bohemis, ut propitius accederent, in-
quiens, Multò culina unctior in Hungaria, quàm in Bohemia
apparet, captuſque nidore ejus, Pragam rarius frequentavit. G
Dubravius lib. 31.

Abyſſini, qui annos DCCC. imperium totius Africæ ma-
ximum tenent, Reges ab una & eadem gente ſemper quæſie-
runt: ac negens aliquando deficiat, neve plures imperandi
cupiditate populum in varias partes diſtrahant, aut parricidiis
ſe polluant: gentiles Regis (quos Iſraelitarum filios vocant)
ſimul educantur, in arce fortiſſima, in excelſo monte Angæ,
ut *Alvareſius* tradit, quò niſi per abrupta, & anguſtiſſima lo-
ca perveniri non poteſt, eaque validiſſimo præſidio muniun-
tur. Mortuo Rege non proximus agnatus, ſed qui magis ido-
neus optimatibus, & cuſtodibus videtur, eligi conſuevit. Hunc
igitur Abyſſini educentes ex arce; veluti Deum aliquem cœ-
lo delapſum maximis honoribus, & obſequiis proſequuntur.
Bodin. in Meth. hiſt. cap. 8.

QUANDO DIGNITATES DATÆ.

Ante tempus, Præmaturè.

Licèt imperium conſulare annuum eſſet apud Rom. nulli- H
que niſi exacto quadrageſimo, & tertio ætatis anno conſula-
tum capere anteà licuerit: pluribus tamen citrà eam ætatem,
ſi quod dignum operæ pretium Reipublicæ præſtitiſſent, con-
ſulatum gerere permiſſum fuit. Nam & Valerium Corvi-
num in tertio, & vigeſimo ætatis anno, ante legitimum tem-
pus, ad conſulatum promotum legimus apud *Val. lib. 8. cap.
16.* & Marcio juniori, Scipioni Aphricano, & Octavio Au-
guſto, aliiſque Ducibus, ob ſingularem rei militaris diſci-
plinam, & ob candorem ingenii, ante tempus conſulatum,
aliiſque honores delatos comperimus. *Alexand. lib. 3.
cap. 5.*

T. Quint. Flaminius tranſcurſis mediis honoribus, in qui-
bus juvenes documentum ſui dare conſueverant, tribunatu
plebis, prætura, ædilitate, ad conſulatum ſtatim tendens, deſ-
cendit in campum ſtudiis Narniæ, & Coſſæ, quas deduxerat,
coloniarum ſuccinctus. Comitia tribuni plebis Fulvius, &

Manlius (M. Curium habet Livius) impediebant: demon-
A ſtrantes mali rem ex empli eſſe, quòd juvenis nondum ꝛcipub.
quaſi primis ſacris, & myſteriis initiatus, ad ſummum honorem contra leges pertumperet. Id Senatus populi arbitrio permiſit. Populus conſulem nondum triginta annos natum, addito collega Sexto Ælio, creavit, & in Macedoniam adversùs Philippum miſit. *Plut. in Flaminio.*

P. Corn. Scipio, Africanus poſteà dictus, ante legitimum tempus ædilitatem petens, etſi tribuni plebis adverſarentur, quia nondum ſatis annorum eſſet, pervicit tamen, ut per tribus ducereturſ, atque extemplo frequentibus ſuffragiis Quiritum ædilis curulis eſt declaratus. *Auctor. ejus vitæ.*

Carthagine obſeſſa P. Scipionem Africanum minorem, quia per ætatem conſul fieri non poterat, cùm ædilitatis candidatus proceſſiſſet, omnes eum centuriæ conſulem dixere. Negare conſul, qui comitia habebat, ſe eum relaturum, quia contra patrias leges conſul fieret. Inſtare populus, ſuaque comitia eſſe clamitabat, libera eſſe populi ſuffragia, licuiſſe ſibi ſemper, ac licituruſm, imperium, cui libitum eſſet, demandare, idemque abrogare cùm vellet. Placuit itaque in præſentem annum legem abrogatum iri, creatuſque eſt cum Scipione
B conſul Druſus. Cæterum Aphrica Scipioni extra ſortem data F
eſt, qui Carthaginem excidit. Eundem quoque Romani ad bellum Numantinum conficiendum conſulem creavere, ſolutum priùs lege, qua intra decem annos nemo bis creari poterat. *Sab. lib. 9. Ennead. 5.*

Q. Metellus Pius tam bonæ ſpei adoleſcens fuit, ut in petitione præturæ, & pontificatus conſularibus viris prælatus ſit. *Plin. de Viris illuſt.*

Pompejus Magnus de ſe liberè profitebatur, quòd omnem magiſtratum, quem geſſerat, & citiùs eſſet nactus, quàm ipſe expectaſſet, & citiùs depoſuiſſet, quàm ab aliis exſpectatum eſſet. Quod citò ſuſcepiſſet imperium, vel fortunæ fuit, vel præmaturæ virtutis: quòd maturè depoſuit, animi moderati erat, non ad tyrannidem ſpectantis, ſed ad Reipublicæ commodum. *Plut. in Roman. Apopht.*

Octavius Auguſtus, qui C. Julio ſucceſſit, bellis civilibus multa adeò ſtrenuè egit, ut conſulatum illi patere per decem ante annos, quàm ex lege liceret, Senatus conceſſerit decereto, multoſque alios honores illi contulerit. *Appian. in 3. Civil.*

C Germanicus C. Cæſaris pater, Druſi, & junioris Antoniæ filius, à Tiberio patruo adoptatus, quæſturam quinquennio ante, quàm per leges liceret, & poſt eam Conſulatum ſtatim geſſit. *Suet.*

Andreas Dandalus, ſepultis in Italia literis, primus bonis artibus, & literis inſtructiſſimus fuit. Idemque admiratione virtutis tam illuſtris, tres & triginta annos natus, Dux in ea civitate dictus eſt, quæ cùm ſenili ætati ſemper plurimùm detulerit, tunc verò juvenem hunc omnibus ſenibus anteposuit. *Egnat. lib. 3. cap. 1. & lib. 8. cap. 16.*

Serius.

Eſt literis proditum, eos qui ſuo anno conſulatum Romæ peterent, perrarò ſine repulſa ad præſcriptos honores admiſſos. Qui verò ſerius, quam per ætatem licet, ſine repulſa plerumque ad conſulatum promotos. *Alexand. lib. 3. cap. 3.*

UBI.

Conrado Suevo imperante quemadmodum ſcribit *Blondus Decad. 2. lib. 3.* inſtitutum eſt, ut Imperator deſignatus, priuſquàm Romæ à Pontifice confirmaretur, ſive inaugura-
D rerur, Medoeciæ primùm palea, deinde Mediolani ferro coronaretur. Poſterius denique Aquiſgrani fieri cœptum eſt id, quod Modoeciæ priùs fiebat. *Cromerus lib. 3. & Bonfinius. lib. 1. decad. 2.*

Petrus Aragonum Rex ſeptimus, Romam profectus, ab Innocentio III. Summo Pontifice coronatus eſt corona panis azymi, hoc eſt, ſine fermento, in Eccleſia ſancti Pancratii: quin etiam impetravit à Pontifice, ut quamvis ipſe Romæ coronatus eſſet, ejus tamen ſucceſſores in perpetuum Cæſaraugustæ coronarentur à Tarraconis antiſtite. *Marinæus lib. 10. rerum Hiſpan.*

Ann. Chriſti 1531. Ferdinandus Bohemiæ, Hungariæque Rex, non Franco furti pro veteri obſervatione, ſed rebus ita exigentibus, Coloniæ Agrippinæ, & ubi Trajanus Imp. optimus imperii faſces ſuſcepit, Rex Romanorum deſignatus eſt.

Kennethus Scotorum Rex, poſt deletum Pictorum regnum, marmor (quòd aliquando Simon Brechus ab Hiſpania vexerat in Hiberniam, & Fergufius primus ab Hibernia in Albionem) ab Arcadia, ubi ad id uſque tempus diligenter aſervabatur, in Gouream Pictorum regionem (veluti ſacrum E
pignus illic Scotici regni deinceps ſtabiliendi) vectum, Scoræ, quòd ad eum vicum ſuprema in Pictos parta fuiſſet victoria, edito tumulo locavit: cui Scotorum Reges dicerentur infidentes, inſignia reciperent regalia. Nonnulli vulgata illa carmina:

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem:

lapidi tum primum Kennethi juſſu inſculpta aſſuerant. *H. Boethius lib. 2.*

Reges electuri in Svetia, Senatores, ac proceres, nunciique omnium provinciarum, communitatum, civitatumque regi conveniunt in Archiepiſcopali civitate Upſalenſi. Non procul eſt lapis campeſtris amplus, ab incolis Moraſteen appellatus, in circuitu duodecim continens lapides paulò minori forma humi firmatos. Ibi ex Senatu præcipuus proponit, quàm neceſſarium ſit, pro regni, omniumque incolarum libertate, in unum Regem, ac Principem conſentire, more à majoribus accepto omnes exhortans, ut libero, quem velint, voto quantocyuis ex nomine proſequantur. Non hic generis, non opum, ſed virtutis examen inſtituitur, & qui melior omnium F
conſenſu fuerit judicatus, Rex appellatur. *Olaus Magn. in hiſt. gentium Septent. 8. cap. 1.*

Lecturi Regem veteres Vani, affixis humo ſaxis inſiſtere, ſuffragiaque promere conſueverant, ſubjectorum lapidum firmitate facti conſtantiam ominantes. Quo ritu Humblus, decedente patre, novo patriæ beneficio Rex creatus eſt. *Saxo. lib. 1.*

In Babylonia Armeniæ (quam Solymanus de Perſis cepit) Caliphæ ſacrorum Principis ſedes eſt, qui à cunctis Mahometani nominis Regibus excolitur, veteremque obtinet prærogativam adoptandi, & ex certa coemptionis ceremonia confirmandi Aſſyriæ Reges, ſicuti Sultanos etiam Memphiticos. Ab hoc Calipha Solymannus, veteris ſuperſtitionis inſtituta ſequutus, inſignia, atque ornamenta ſuſcepit, multaque largitione propitiatis ſibi Babyloniorum primoribus, & populis item liberali congiario delinitis, ea in urbe antiquiſſima, propter Semiramidis penſilium hortorum memoriam, hyemavit. *Sab. ſupplem. lib. 18. ex Iovio.*

MAGISTRATUS IMPERII G
RECUPERATIO
SACRI.

Arnulphus Rhemorum Archiepiſcopus, Lotharii Regis Franciæ frater, Hugoni Capeto, qui regnum invaſerat, ſuſpectus, illegitimorum natalium, & proditionis Rhemenſis urbis prætextu, in patrum concilio dejectus fuit, ſolo Seguino Senonum Epiſcopo acriter reclamante. In dejecti locum ſubſtituitur Gilbertus, qui poſteà Romanus Pontifex factus, Sylveſter II. dictus eſt. Joannes Pontifex maximus, recognita, omnibus Epiſcopis, quorum ſententiis Arnulphus ſede remotus fuerat, ſacris interdixit: ac per Leonem Abbatem, ſuum legatum, in Rhemenſi civitate Apoſtolica auctoritate alia Synodo collecta, prioris acta reſcidit: ſicque Gilberto depoſito, Arnulphus de cuſtodia extractus, priſtinæ dignitatis locum, omnibus applaudentibus, recipit: ut *Antonius, Paulus, Æmilianus, & Aimoinus* teſtantur.

Leo X. Bernardinum Carvajallem, & Fridericum Sanſeverinatem Cardinales, concilii Piſani præſides contra Julium II.
demortuum, in gratiam recepturus, reſtitutioni diem ſtatuit, H
quæ hunc in modum peracta eſt. Clam noctu abſque Cardinalium veſtitu, & ſignis Romam ſunt ingreſſi: manèque ſequenti, cùm ſe coram Pontifice in ſenatu cum omnibus Cardinalibus ſedentes ſiſtere deberent, communi Sacerdotum amictu, capite nigris tiaris cooperto, per omnia Vaticanæ curiæ in qua pernoctaverant, publica loca, ingenti hominum multitudine ad eos videndos accurrente, tranſiverunt. Hinc in Senatum admiſſi, genibus in terram poſitis abjecti, ac ſordidati, omnia ab Julio facta, & nominatim, quòd ipſos collegii dignitate privaſſet, noviquè Pontificis creationem velut legitimè factam comprobantes, & Piſanum conciliabulum, tanquam ſeditioſum, & execrandum damnatus, à Pontifice, totoque Pontificum collegio veniam petierunt. Quæ res ut in tabulas ipſorum manu ſubſcriptas eſt relata, erecti ſingulos Cardinales, qui ſe ſuis ſedibus non movebant reverenter ſunt amplexi: & deinde ſacra purpura induti, in eundem locum, in quo anteà ſedere conſueverant, ſunt admiſſi. Purpurei galeri dignitate hunc in modum recuperata, non tamen Sacerdotia, ac beneſi-

ac beneficia, quibus anteà frui ſolebant, recuperarunt: illa
A enim multò ante, tanquam vacantia, in alios translata fuerant. *Guicciardin. lib. 11.*

PROFANI. VIDELICET.

Imperii, Regni, Principatus.

Leonidas Cleonymi F. regno ob perfidiam Cleombroti exutus, & è patria pulſus, in Arcadiam exilii cauſa abiit. Verùm non ita multis poſt annis ab iiſdem in patriam, & priſtinum etiam regnum revocatus eſt. *Pauſ. in Lacon.* ☞ *Vide Tit. Perfidiæ erga ſoceros.*

Maſiniſſa Galæ F. regno pulſus à Syphace Numidarum Rege, in Balbum montem cum paucis equitibus conceſſit. Maſſeſſulorum quidam cum pecore, & familia Maſiniſſam ſecuti, locorum difficultatibus freti, ſe, & reliquum fortunarum cum Rege adversùs Syphacis injuriam tuebantur, in cujus ditionem cætera Maſſeſſulorum gens conceſſerat. Ex iis locis aliquamdiù Maſiniſſa Carthaginenſem agrum latrociniis, ſubitiſque excurſionibus habuit infeſtum: donec Bocchar, Syphacis prefectus, cum quatuor millibus ad eum debellandum miſſus, montibus dejectum, cùm XL. equitibus fugientem, ad urbem Clupeam circumventum propemodum oppreſſit. Inde ſaucius medio tumultu cum quatuor equitibus elapſus ad flumen pervenit: ibi præcipiti metu (hærebat enim veſtigio hoſtis) vorticoſum flumen ingreſſus, ægrè cum duobus equitibus ad ulteriorem ripam pertendit, duo reliqui in hoſtium conſpectu aquarum impetu abſorpti ſunt, atque ita ab hoſtibus periiſſe creditus, in ſpelunca quadam plures dies latuit, donec vulnus, quo gravabatur, herbis ſit penè obductum. Tum verò jactationis patiens factus, cum duobus ad paternum regnum repetendum (quod vix ad poſteros tam audax facinus inveniat fidem) porrò ire conſtituit. Juncti ſunt primò illi aliquot equites: inde ubi, præter ſpem omnium, vivere dictus eſt, ſimul ac in conſpectum venit, ad ſex millia hominum, & quatuor equitum ad eum confluxere. Quibus non ſolùm regnum recuperavit, ſed Syphacis, & ſociorum fines multa nominis celebritate vexare eſt adortus, caſtris inter Cyrtam, & Hipponem loco edito munitis. Quò Syphax cum filio Vermina profectus, eum magis arte, quàm viribus victum, iterùm exercitu, & regno ſpoliavit. Ille cum modico equitatu elapſus, ad minorem Syrtim confu-
C git, ibique ſe uſque ad Romanæ claſſis appulſum tenuit. Tum iis equitibus, quos forte circa ſe habuit, ad P. Scipionem venit, à quo benignè eſt acceptus, & victo Syphace Rex declaratus, in pop. Rom. ſocietate conſenuit. *Sab. lib. 5. Enn. 5.*

Alexandrini pulſo Ptolemæo Aulete, filiam ejus maximam natu reginam conſtituerunt, nupſitque primò illi Cybioſatti cuidam Syro, regia ſtirpe, ut ipſe credi volebat, procreato, quem tamen paucis diebus ob ſordidum ingenium expulit. Juncta inde Archelao eſt, ejus Archelai filio, qui contra Syllam pro Mithridate pugnavit, moxque à Romanis in ſummo fuit honore habitus. Cæterùm dum filia novis ſtudet nuptiis, Ptolemæus Romam profectus, Pompejo eſt ab initio conciliatus, per eumque patribus commendatus. Nec longo inde interjecto tempore, Pompeii impulſu, Gabinus, injuſſu populi Regem reſtituit. Qui recepto regno, filiam & Archelaum, cui puella nupſerat, occidit: nec ipſe diu poſteà filiæ, & genero ſuperfuit, periitque fatali morte, quatuor filiis ſuperſtitibus, duobus virilis ſtirpis, ac totidem alterius ſexus. Ex his
D majores natu teſtamento patris regnare juſſi ſunt, Dionyſius H
Ptolemæus, qui Pompejum puer adhuc interfecit, & Cleopatra, poſt cujus interitum Ægyptus in provinciæ formam eſt redacta. *Sab. lib. 6. En. 6.*

Iſaacius Angelus Imp. ab Alexio fratre oculis, & imperio orbatus, Alexii filii cura 30. mille marcarum auri mercede promiſſa, Venetorum, & Francorum armis reſtitutus eſt, Conſtantinopoli capta. Fratricida Alexius noctè concubia, apud Irenam filiam virginem monialem ingentem deſoſtum relinquens theſaurum, aufugit. Iſaacius carcere liberatur. Alexius puer maximo populi favore Cæſar acclamatur: ac poſt ſubitam patris mortem (qui ex inſolentia aeris è carcere egreſſus obierat) Imperator eſt dictus. *Cuſp.*

Childericus Rex Francorum ann. 461. propter intoleranda tributa, & nefarias libidines populis ſuis inviſus, ab eis regno depellitur. Auxilii inops in Thuringiam veterem patriam ſe recepit, ac Vindomalum (Æmilius Vindomarum habet) fidum amicum, qui ſævientes erga ſe Francorum animos mitigaret, ac ſibi reditum in tempore compararet, reliquit, E
ſigno dato, quo ſe moneri volebat, quando tutò domum repetere poſſet, is fuit aureus nummus in duas partes diſſectus, quarum unam ipſe ſecum detulit, alteram, qua moneri volebat, apud amicum reliquit. Eo profecto, Franci Regio imperio aſſuetis Egidium magiſtrum militum, qui pro Romanis Sueſſione ſedebat, magno animorum conſenſu ſibi Regem depoſcerunt, atque ultrò ſe illius arbitrio ſubjecerunt. Octavo poſt anno demùm Vindomalus nuncios ad Childericum cum nummi parte miſit, atque, ut bono animo regnum repeteret, ſigno inter ſe compoſito docuit. Quo accepto, ille gaudio geſtiens in Galliam ſe recepit, ac benignè à Francis, Egidium jam perofis, acceptus, regno illum eorum uſus auxilio deturbavit, atque inde proſperè multos annos illud obtinuit. *Sigon. lib. 14. Imp. Occid. & Æmilius.*

Reuther Scotorum Rex, civili bello attritis penitus Scotorum viribus, in Hiberniam fugere à Britannis coactus, non multò poſt recollectis copiis regnum recuperavit. *H. Boethius lib. 2.*

Sueno Danorum, Norvegiorumque Rex, claſſe in Angliam cùm tranſmiſiſſet, Edelfredum Anglorum Regem pre-
lio victum, tota ex Inſula exegit. Profugus, in Norman- F
niam cum duobus filiis Eduardo, Alfredoque, ac Anna uxore, eadem Richardi tertii Ducis ſorore, ſeſe recepit. Mortuo Suenone, Anglus depoſitis apud Avunculum adoleſcentulis, parvis copiis ſubnixus ad repetendum regnum, eum uxore reverſus, ab Hunnuto Dani filio ſignis collatis victus, Londinique obſeſſus, deceſſit Victor, ut Normannos ex hoſtibus amicos, affineſque ſibi efficeret, cœlebs Annam viduam in matrimonium duxit, magnoque in honore, ac gratia habuit. Eduardus cùm majoribus copiis tranſmiſit, caſtraque juxta hoſtem collocavit. Re infecta revertit. Ferunt, cùm ei ſui certam victoriam ſponderent, hoſteſque ad internecionem deletum iri, illum diziſſe: Abſit, ut meum unius regnum tot millium hominum morte ad me redeat. Præſtat privatam, & incruentam agere vitam, quàm per tantam carnificinam dominari. Intereà mortuo Hunnuto, filius ex priore uxore Heroldus ſucceſſit: Aluredumque auxilio Roberti Normannorum Ducis tranſgreſſum dolo ſuſtulit, ſubornatis veteribus Anglorum proceribus, quorum longè Princeps Godovinus erat, qui dicerent; ſeſtos ſe avaro, impotentique Danorum imperio, Edelfredi juſti, legitimique, ac optimi Regis ſobolem ſpectare. Ergo cum mille om- G
nino expeditis profectus, inſidiis exceptis necatur. Hunnuto ſucceſſit Ardebunnutus, ipſius ex patre frater: qui cùm Eduardum ſanctum virum è Normannia vocatum in ſocietatem regni adſciviſſet, obiit. Eduardus à diuturno exilio ad regnum profectus, tranquillam etiam reliquam vitam tranſegit: & quòd apud Normannos Duces educatus, cultuſque fuiſſet, nec liberos ſuſtuliſſet, beneficiorum, cognitioniſque ac conſuetudinis memor, Gulielmum nothum Regem, hæredemque nuncupavit, in ejuſque verba proceres jurejurando adegit. *Æmil. lib. 3.*

Imperavit Mediolani Matthæus Magnus ab Othonis Vicecomitis patrui morte ſeptem annos, novem in exilio toleravit: cùm malignitate propinquorum, & ſubita nobilitatis conſpiratione, atque Alberti Scoti perfidia circumventus, ut invidiæ cederet, Mediolano exceſſiſſet. Sed eum, poſt patriam fruſtra armis ſæpè repetitam, deformis exilii incommoda conſtantiſſimè tolerantem, nec unquam deſpondentem animum, Henricus VII. Imperator, qui anno 1308. Italiam petebat, H
reſtituit, Guidone Turriano dejecto. *Jovius in ejus vita.*

Philippus, Galeacii Vicecomitis filius, admodum puer, cum Joanne Maria fratre majore natu relictus, maximam principatus partem amiſit. Galeacio namque defuncto, multi hinc inde tyranni coorti, ſingulis ſingulas pluresve urbes invaſerunt. Sed ille poſt, Franciſci Carmaniolæ ductu, non ſolum paterni principatus partem maximam recuperavit: ſed nonnullas etiam urbes, miro felicitatis curſu, ſuis opibus adjecit. *Sabel. lib. 9. Dec. 2.*

Petrus Moldaviæ, quæ Vvalachiæ pars eſt, Princeps, Draculæ pronepos, ob latrocinia à Solymanno Turcarum Imper. pulſus, Joanni Tranſylvaniæ Regi ſe dedidit. Stephanus ejus frater in regnum reſtitutus, Solymanno auctor fuit Petri à Joanne depoſcendi, quòd eo vivo Moldavia nunquam quietura foret. Joannes negat ſe miſeri, ſponteque dediti ſalutem proditurum; tamen quò omnis amittendi regni metus

Stephano demeretur, tamdiu quàm Solymannus vellet, in ea-
A dem cuſtodia retenturum. Poſtremò, cùm ſeverioribus literis repeteretur, Petrum non captivi modò, ſed legati nomine Byzantium cum inſigni comitatu tranſmiſit, ut coram objecta crimina dilueret, & ſi fas eſſet, veniam quoque impetraret. Petrus ergo ita cauſam ſuam egit, ut Peram relegaretur, purpuratis omnibus conciliatis. Nec multò pòſt Stephanus ob tyrannidem trucidatus, & Alexes quidam à Moldavis Princeps creatus. In indignè ferens Solymannus, Petrum ab exilio revocatum in Moldaviam reduci curavit. Moldavi cùm fruſtrà Ferdinandi auxilium imploraſſent, ut novæ perfidia veterem eluerent, & Petrum placarent, Alexem trucidarunt, & caput ejuſmuneris loco Petro tranſmiſerunt. Receptus ille, viginti ex Moldavis ſecuri percuſſit. *Sab, ſuppl, lib, 24. ex Jovio.*

Anno Sal. 1519. Ulricus Princeps Vvirtembergicus ditione ſua pulſus fuit, & ejectus à Svevici fœderis ſociis, cùm Reutelingam, oppidum Imperii, confœderatum ipſis, nuper cepiſſet. Eam deinde provinciam Cæſar ab illis, poſt Ferdinandus frater à Cæſare, cùm hæreditas divideretur, eſt conſecutus. In Auguſtæ comitiis anno 1530. Principes quidam intercedebant, ut Ulricus, qui jam in undecimum annum exulabat, re-
B ſtitueretur: ſed Cæſar ornamenta ſolennia principatus fratri ſuo tum publicè contulit. Landgravius ergo, qui magna neceſſitudine, & propinquitate conjunctus erat Ulrico, quadriennio pòſt, per abſentiam Cæſaris, cùm etiam eo ipſo tempore Svevicum fœdus, in annos undecim anteà factum, diſſolveretur, Galliam petens, agrum Montisbelgardenſem, Regi pro certa pecuniæ ſumma, nomine Ulrici principis oppignoravit, ea lege, niſi intra tertium annum ille luat, ut tum eſſet Regni Galliæ hæreditarius. Præter eam pecuniam Rex quoque mutuò ſe daturum promiſit alteram ſummam, facta ſpe, non repetitum iri. Landgravii igitur opere victus Ferdinandus, qui ad juris, legumque diſceptationem fruſtrà hanc controverſiam revocabat, & Ulricus reſtitutus. Tandem bello Germanico ſic inter eos convenit, ut Ulricus princeps, & ipſius hæredes maſculi, ſint Ferdinandi Regis, tanquàm Auſtriæ Principis, beneficiarii, & agri Vvirtembergici poſſeſſionem ei ferant acceptam: extincta fortè familia Vvirtembergica, nec exſtantibus maſculis, Auſtriaci Principes eam regionem obtineant, Imperii be-
C neficio, & auctoritate, cui & hoc nomine teneantur: Ulricus Ferdinandum agnoſcat pro Romanorum Rege, neque fœdus ullum adverſus eum faciat. *Sleidan. lib. 9.*

Prætura.

C. Julius Cæſar Cæcilio Trib. pleb, turbulentiſſimas leges adverſus collegarum interceſſionem ferenti, auctorem, propugnatoremque ſe pertinaciſſimè præſtitit: donec ambo adminiſtratione Reip. decreto patrum ſummoverentur. At nihilominus permanere in magiſtratu, & jus dicere auſus, ut comperit paratos, qui vi, ac per arma prohiberent, dimiſſis lictoribus, abjectaque prætexta, domum clam refugit, pro conditione temporum quietura. Multitudinem quoque biduo pòſt ſponte & ultro confluentem, operamque ſibi in aſſerenda dignitate tumultuoſiùs pollicentem, compeſcuit. Quod cùm præter opinionem eveniſſet, Senatus ob eundem cœtum feſtinatò coactus, gratias ei per primores viros egit: accitumque in curiam, & ampliſſimis verbis collaudatum, in integrum reſtituit, inducto priore decreto. *Sueton.*

Præfecturæ cujuſvis.

Thebanis in Peloponneſum irrumpere conantibus, cùm
D Spartani à Cenchræis ad Lechæum uſque foſſas, & propugnacula exſtruxiſſent. Epaminundas tamen vi perrupit præſidia, & cùm magnam cladem hoſtibus inferre poſſet, contentus priore ſucceſſu, pugnam ulteriùs facere deſtitit. Cùm autem magna de ipſo exoriretur apud omnium animos ſuſcipio, quaſi Lacedæmoniis ex privata gratia pepercilſet: hi, quorum oculos ſplendor ejus gloriæ perſtringebat, oportunum calumniandi tempus arripuerunt; cùmque proditionis reum agerent, multitudo exaſperata, abdicavit cum magiſtratu Bœotarchiæ, & in privatorum numerum reijciens, cum aliis miſit ad bellum Theſſalicum. In quo cùm Bœotarchorum imperitia in maximas difficultates redactus eſſet exercitus, Alexandro Pheræorum tyranno graviter inſtante, deſperatis jam ferè, & perditis, Epaminundas Dux à militibus conſtituitur. Qui confeſtim delectis, aſſumptiſque levis armaturæ militibus, & equitibus in poſtremis ordinibus exercitus, inſequentium adverſariorum impetum repulit, & rem tutiſſimam præcedentibus armatis præſtitit. Quo facto cùm abſterſiſſet injectam ſibi notam ignominiæ, reſtituit etiam eum populus in priſtinam dignitatem. *Diod. lib. 15.*

Antonius Grimanus, claſſis Venetorum contra Bajazetem
E Dux, ob malè geſtum imperium in exilium actus, at liberorum interceſſione reſtitutus, Nicolao Triviſano templi Marci procuratore mortuo, magno omnium favore in ejus locum ſuffectus eſt. Atque illa quidem in procuratione eo erat tempore Antonius, cùm eſt exul factus: itaque bis eam dignitatem eſt adeptus, quod nemini anteà contigerat. *Bembus lib. 11. Hiſt. Ven.*

Ulricus Ciliæ comes, avunculus, & Rector Ladislai Bohemiæ, & Ungariæ Regis, repentè de ſtatu ſuo dejectus eſt artibus Ulrici Eyncigeri], ita ut ei aula, omnibuſque aulicis honoribus, & ipſa Vienna urbe interdiceretur: & niſi ab Alberto Marchione Brandeburgenſi ad portam uſque urbis deductus fuiſſet, lapidibus obrutus fuiſſet. In exilium ad paternum ſolum proficiſcentem, quatuor tantùm equites comitati ſunt, cùm aliàs frequentiore ſatellitio quàm ipſe Rex cingeretur. Cæterùm non multò pòſt in gratiam denuò receptus eſt. Quatuor clientuli ejectum comitabantur, reducem mille equites, phaleris armis, auro, argento conſpicui deducebant. Ipſe Rex cum proceribus venienti obviàm extra urbem Uratislaviam factus, honorem ut avunculo habuit, reſtitutumque in priſtinum dignitatis gradum gubernatorem Auſtriæ conſtituit. *Dubrav. lib. 29.* F

MAGISTRATUS, IMPERII NULLA ACQUISITIO.

NEMPE VEL

OBLATI REPUDIATIO.

Captis Hieroſolymis, Latini Duces Regem Hieroſolymorum elegere Robertum Normannorum Ducem. Natus erat invictiſſimo, ſapientiſſimoque Rege Anglorum Gulielmo, Comitatum addixerat, Ducatumque opulentiſſimum, nobiliſſimumque oppignorarat, ut Chriſto militaret. Si domum redeat, non videbatur aliquid ſui liberum ſolutumque habiturus ubi conſiſtat. Spes magna oblata rem illi abſtulit. Accidit fama, Gulielmum Anglorum Regem ejus fratrem ſine liberis deceſſiſſe. Domum ſpectare cœpit perfecto ſacro bello, cùm jam & cæteri de receſſu cogitarent. Gratias pro-
G ceribus egit, de tanto de ſe judicio: eſſe alios tantæ majeſtati ferendæ. Henricus ejus frater minor timorem domi emiſerat, captis Hieroſolymis Robertum Regem creatum, ſacram terram patriæ prætuliſſe: atque ita Rex Anglorum à ſuis ſalutatus, ſolium invaſit. Utroque igitur regno Robertus claruit. *Æmil. lib. 4.*

Henricus Campaniæ Comes, Iſabella Regina Hieroſolymorum, Conradi Montiſferrati Marchionis vidua, in uxorem ducta, Tyri Dominium accepit, ſed Regni titulos recuſavit, quia Regem Franciæ Philippum domum redientem ſequi feſtinabat. Richardus Anglorum Rex Guidonem Luſignanum (qui Iſabellæ ſororem Sibyllam, Balduini V. Regis pueri matrem in uxorem habuerat) blandè appellatum in eam ſententiam duxit, pecunia non grandi relicto regno Hieroſolymitano, ac Tyri & Ptolemaidæ Dominio, ad quæ aſpirabat, regnum Cypri ab Anglis occupatum perpetuò poſſidendum acciperet. Sæpe rogatus Henricus ut Hieroſolymæ regni titulos acciperet, prorſus tenuit, delicuis potius, quàm bello natus cupiens domum reverti. Sed dum aulam ſuam Ptolemaide incautus circuit, præcipitio periit. *Blond. lib. 7.* H *Dec. 2.*

AMBITI REPULSA.

☞ *Ex Titul. Æmuli dignitatis, & imperii, non pauca huc referri poſſunt, reſpectu ejus, qui voto ſuo fruſtratur. Loco de Ambitione.*

C. Jul. Cæſar à Marii partibus ſtans, ad petitionem ſacerdotii penè impubes venit in campum. Cæterùm hujus repulſam, adverſante clam ei L. Sylla, tulit: qui cùm de necando eo deliberaret, & oſtenderent nonnulli, nihil eſſe cauſæ, cur tantulum puerum trucidaret: Nihil mentis dixit eos habere, ſi non ei puero multos viderent Marios ineſſe. Hac voce ad Cæſarem perlata, longo tempore palàm in Sabinis abdidit ſe. *Plut. in Cæſare, & Suetonius.*

Circa annum Chriſti 1285. Lovanienſes Sacerdotes Stephanum, Henrici Boii Ducis F. Pontificem legerant. Mittuntur Romam legati, ut Pontifex auctor fiat. Verùm cùm legati,

quos

quos exploratum vitam, ac mores Stephani in Bojariam profi-
A cifci juſſerat, eundem paludamento militari amictum, ſagittarium ſpectaculo præſidentem ſe offendiſſe referrent, illum abdicavit. Stephanus poſteà uxore ducta liberos procreavit. *Avent. lib. 7. Annalium Bojorum.*

Cùm cœnobium quoddam vacaret in Anglia ſub Gulielmo Ruffo Rege, duo Monachi inter ſe pactionem fecerunt, ut ſe ita invicem adjuvarent, quo alter cœnobio præficiatur. Hoc capto conſilio, certatim pro præfecturæ adipiſcenda pecuniam Regi offerunt. Interea Rex conſpicatus coram alium monachum, hominem bonæ frugis, qui comes illis duobus competitoribus fortè venerat, ad ſe vocat, quæritque ab eo, Ecquid dare velit, ſi Abbas fiat? Is reſpondet, ſe nihil prorſus daturum, cùm eo animo ſeſe iſti vitæ principio dediſſet, ut ſpretis faciliùs divitiis, atque honoribus in ſanctitate vitæ acquieſcens caſtius Deum coleret. Ad hæc Rex inquit: Tu ergo dignus es, qui cœnobio tuo præſis. Id quod fieri ſtatim juſſit, illis duobus competitoribus non ſine ignominia ab ſe repulſis. *Polyd. l. 10.*

Gelanor Sthenelæ F. & Danaus regnum Argivorum Ambicbant. Dùm eorum uterque ad populum multa, & ea ma-
B ximè probabilia, & juri conſentanea dixiſſet, neque omnino, quæ Gelanor afferebat, minus æqua viderentur, cauſa ampliata eſt in craſtinum. Poſtera die prima luce, in boum gregem in pomœrio paſcentem lupus impetum fecit, atque is taurum ipſum gregis Ducem adortus eſt. Viſum eſt Argivis, Gelanori cum tauro, cùm lupo eſſe Danao apticſſimam convenientiæ rationem: quod ſcilicet uti lupus animal eſt homini minimè familiare, ſic propemodum ad id temporis nulla fuiſſet Danaus Argivorum uſus conſuetudine. Quare cùm tantùm lupus confeciſſet, è re nata Argivi Danao imperium adjudicarunt. *Pauſ. in Corinthiacis.*

C. Martius Coriolanus, in urbe Roma nobilitate inſignis, rerum, quas gefferat, magnitudine fretus, cùm conſulatum peteret, ſatis faventem populum Rom. habuit. Sed cùm eodem die peragi, quæ ad comitia, atque ſuffragiorum rationem pertinebant, non poſſent, poſtridie mane in forum, magno patriciorum numero proſequente, deſcendit. Itaque mutata populi voluntate, qui majorem odii ſui in patricios, quàm Coriolani virtutis rationem habuit, repulſam ab univerſo populo tulit. Ademptus eſt igitur ei conſu-
C latus, quem Volſci populi Rom. hoſtes, ut exercitui ſuo præficerent, ob virtutem dignum duxerunt. Unde haud multò poſt, in ingentem calamitatem conjectus populus Rom. ei coactus eſt ſupplicare, cujus anteà preces audire noluerat. *Fulg. lib. 7. cap. 5.*

P. Scipio Naſica, togatæ potentiæ clarum lumen, is, qui conſul Jugurthæ bellum indixit, qui matrem Idæam è Phrygiis ſedibus ad Rom. aras focoſque migrantem, ſanctiſſimis manibus excepit, qui multas, & peſtiferas ſeditiones auctoritatis ſuæ robore oppreſſit, quo principe Senatus per aliquot annos gloriatus eſt: cùm ædilitatem curulem adoleſcens peteret, manumque cujuſdam ruſtico opere daturam, more candidatorum, tenacius apprehendiſſet, joci gratia interrogavit eum, Num manibus ſolitus eſſet ambulare; Quòd dictum è circumſtantibus exceptum, ad populum manavit, cauſamque repulſæ Scipioni attulit. Omnes namque ruſticæ tribus paupertatem ſibi ab eo exprobratam judicantes, iram ſuam adverſùs contumelioſam ejus urbanitatem deſtrinxerunt. *Valerius lib. 7. cap. 5.* P. Scipio Naſica in toga candida bis repulſa notatus à populo. *Plin. lib. 7. cap. 34.*

L. Paulus Æmilius, primo conſulatu Ligures ſubegit, poſt,
D cùm ſæpiùs declaraſſet, ſe ſecundum conſulatum cupere, & verò aliquando fuiſſet etiam candidatum ſe profeſſus: ubi tulit repulſam, & præteritus eſt, quievit deinceps, & ſaceris curam intendit: ita ut vix urgente populo conſul denuò creari, & jam ſexagenarius bellum Macedonicum ſuſcipere voluerit. *Plut. in Æmilio.*

Q. Ælius Tubero à Q. Fabio maximo, epulum populo Rom. nomine P. Africani patrui ſui dante, rogatus, ut triclinium ſterneret: lectulos Punicanos pellibus hœdinis ſtravit, & pro argenteis vaſis Samia expoſuit. Cujus rei deformitas ſic omnes offendit, ut cùm alioqui vir egregius haberetur, comitiiſque prætoriis candidatus in campum, L. Paulo avo & P. Africano avunculo nixus deſcendiſſet, repulſa inde abiret notatus. Nam ut privatim ſemper continentiam probabant, ita publicè maxima cura ſplendoris habita eſt. *Val. lib. 7. cap. 5.*

Q. Cæcilium Metellum pauci, & mœſti amici conſulatus duplici repulſa afflictum, (propter ſeveritatem nimiam) triſtitia, ac rubore plenum, domum reduxerunt. Eundem de Pſeudophilippo triumphantem, univerſus Senatus lætum, & alacrem in Capitolium proſecutus eſt Achaici etiam belli, cui ſummam manum L. Mummius adjecit, maxima pars ab hoc viro profligata eſt. Eine verò populus conſulatum negare potuit, cui mox duas clariſſimas provincias, aut daturus erat, aut debiturus, Achajam, & Macedoniam? *Val. lib. 7. cap. 5.*

M. Portius Cato plus moribus ſuis præturæ decoris adjecturus, quàm prætextu ejus ſplendoris ipſe laturus, conſequi illam à populo aliquando non potuit: prælato Vatinio homine ignaviſſ. Ergo ſi verè æſtimare volumus, non Catoni tunc prætura, ſed præturæ Cato negatus eſt. *Val. lib. 7. cap. 5.*

Cato Uticenſis petiit trib. plebis, & adeptus eſt, petiit præturam, factus eſt prætor, ſed paſſus priùs repulſam: petiit conſulatum, tulit repulſam. Homo, ut *Plut.* inquit, qui precio comparandus erat ad gerendos magiſtratus: dignior, qui cogeretur accipere honores, quàm qui peteret.

P. Rutilium Fratris repulſam conſulatus tam ægrè tuliſſe, refert *Cicero lib. de Oratore*, apud Fannium fuiſſe ſcriptum, ut eam ob cauſam è vita deceſſerit.

Duo ordines ſunt ædilitatis. Altera à ſellis curulibus, quæ incurvis erant pedibus, ex quibus munia magiſtratus explica- F
bant, nomen traxit. Altera inferior plebis dicitur. Ubi ædiles curules creaverunt, mox ædilibus plebis ineunt ſuffragia. Ut C. Marius in ſuperiori ſe vidit præteriri, confeſtim tranſiit ad petendam ædilitatem plebis. Verùm qui nimium eum judicaverunt audacem, & præfractum, repulſam tulit: qui quamvis bis eodem die dejectus honore fuerit (quod præter eum accidit nemini) nihil demiſit tamen animos: ſed haud multò poſt præturæ candidatus penè repulſam eſt paſſus, at licèt noviſſimus omnium renunciatus fuerit, ambitus eſt poſtulatus. *Plut. in Mario.*

Q. Sertorius in Tribunatu repulſam tulit per factionem Syllanam. Hinc Syllæ videtur infenſus fuiſſe. *Plut. in Sert.*

Guido, Dux Spoletanus, mortuo Carolo Craſſo, regnum Franciæ affectans, ad Metim divertit, ſperans ex compoſito conventuros ſocios, qui arma, & ſuppetias ſubminiſtrarent. Accidit (ut tradunt Annales) cùm dapifer ejus illuc præmiſſus ad alimenta regio more præparanda ab Epiſcopo Metenſi videret, juxta Francorum conſuetudinem, multa admodum cibaria parata, petiiſſe ab Epiſcopo, ut ſibi equum donaret, ſeſe curaturum, ut Rex tertia hujus obſonii G
parte eſſet contentus. Cui Epiſcopus: Non ferent Franci regnare Regem, qui X. drachmis prandeat, abeat retrò unde venit, nemo hunc Regem amplectetur, nemo amabit. Francorum igitur rebellione Guido, electo Odone Andegavenſe Rege, deturbatus fuit. *Cuſp.*

Franciſcus I. Galliarum Rex, imperii Germanici repulſam paſſus eſt, Carolo Auſtriaco prælato. *Surius in comment. rer. toto orbe geſtar.*

NON AMBITI PRÆTERITIO.

Inter ea, quæ de Marco Furio Camillo referuntur multa, & eximia, ſingulare imprimis videtur, ac mirandum, quod qui victorias Imperator plurimas, & præclariſſimas retulit, Dictator quintum fuit dictus, quater triumphavit, alter etiam Romæ appellatus conditor, ne ſemel quidem conſul fuerit. In cauſa fuit reipublicæ ſtatus. quo populus à patribus diſſidens, ne conſules crearentur, obſtitit: ſed tribunos rebus præfecit, quorum propter numerum; tametſi conſulari eſſent, & auctoritate, & poteſtate; minus in plebis oculos incurrebat imperium. Quippe quos paucorum offendebat potentia, his minùs moleſtum erat, ſex viros quàm duos H
rempublicam tenere. Per id tempus cùm potiſſimum Camillus gloria, & rebus geſtis floreret, quamvis civitas medio tempore comitia conſularia habuerit ſubinde, non ſuſtinuit tamen conſul invito fieri populo. In cæteris magiſtratibus, quos multos cepit, & varios, ita ſe geſſit, ut poteſtatem ſuam, cum vel ſolus obtineret, ſupremam in medium conferret: gloria verò ad, eum redundaret unum, ubi etiam collegas habebat. Hujus cauſa fuit ejus prudentia, qua ſuperabat citrà controverſiam omnes; illius modeſtia, ſine invidia imperantis. *Plut. in Camillo.*

Chriſtophorus Maurus Venetus ædes ſuas in cœnobium D. Franciſci converterat. Ei jam D. Marci procuratori conſtituto Bernardinus Senenſis principatum prædixit. Cæterùm abrogato principatu Foſcaro ipſi, cùm ſumma principis dignitas, repulſo Mauro, Paſchali Maripetro demandata eſſet: admirabundus ipſe tacitus ſecum Bernardi vaticinium irri-

dere, quòd tamen veritatis plenum fuit. Siquidem Maripetro
A ſucceſſor eſt datus. *Egnat. lib. 7. cap. 5.*

Bernardus Juſtinianus, Leonardi F. literis Græcis, atque Latinis pro illius ſæculi conditione ornatiſſimus, omnibus honoribus functus, & nullam unquam repulſam paſſus, procurator D. Marci, in locum Petri Mocenici creatus fuit. Marco Barbadico Principe Venetorum vita functo, cùm haud dubiè omnis civitas Bernardum ipſum creandum acclamaret, tulit tamen repulſam, Auguſtino ipſi fratri ſuffecto: vel quòd breviſſimus fuit ipſius Marci principatus (quod præter omnium ſnem evenit) vel quòd & ipſe frater multis honoribus functus, & procurator etiam dictus, non indignus hoc tanto faſtigio creditus eſt. *Egnat. lib. 7. cap. 5.*

Mortuo Pio II. Alfonſus Borgia Catalanus Dominico Capranicæ Cardinali prælatus fuit, & Calliſtus III. dictus. Dominicus domum revertens à conclavi, obvium habuit in ponte S. Angeli pauperem eleemoſynam petentem, quòd Catalanorum manus evaſiſſet. Ad eum converſus, Tu mihi potiùs largire, qui in Catalani manus præter exſpectationem, & meritum inciderim. *Hier. Carimb. lib. 3. de Vit. Pont.*

Nicolao V. mortuo, Cardinales Beſſarionem Nicænum Pontificem deſignarant, & ad cubiculum illius bis accedentes, Pontificem ſalutaturi erant. Nicolaus Perottus ejus famu-
B lus moleſtè ferens nunc ſomnum, nunc ſtudia patroni interrumpi. Non eſſe, cur Cardinalem inquietent, acerbè reſpondit. Ergo bis rejecti, ſimul etiam à Cardinale Avenionenſe perſuaſi, qui indignum facinus eſſe dictabat, Latinos Græco, orthodoxos hæretico converſo Rempubliam Chriſtianam committere, Caliſtum III. creavere. Ita Beſtario, qui per noctem integram omnium opinione, Pontifex fuerat, manè facto præter meritum ſucceſſorem habuit. *Jovius in Elogiis.*

CESSANTIS NULLA SUBSTITUTIO.

Apud Rom. licèt ex duobus conſulibus, altero defuncto, college ſubrogando haberentur comitia, alterque conſul in defuncti locum cooptaretur: tamen ex duobus cenſoribus altero deſito, alium ſubrogari non licebat. Quod C. Julio cenſore mortuo, L. Papyrius Curſor, ne abiret magiſtratu, M. Cornelium Maluginenſem collegam ſibi ſubrogarat, religio invaſit, & piaculare fuit, quia eo luſtro à Gallis urbs capta eſt, ne in demortui locum cenſor ſubrogaretur. Itaque cenſore vita functo, collegam magiſtratu abire oportebat. Quamvis Appius Claudius Cæcus, contra mores, inſtitutaque majorum,
C collega ſe magiſtratu abdicante, ſolus cenſuram gerere non dubitavit. *Alexan. lib. 3. cap. 13.*

Nero Cæſar defuncto circa Kal. Januarias altero è Conſ. nominem ſubſtituit: improbans exemplum vetus Caninii Rebuli, uno die Conſulis. *Suet.*

DIGNITATIS, MAGISTRATUS, IMPERII CONSERVATIO.

Et vel

NON INTERPOLATA. VEL TEMPORE CERTO

Definita. Non dejecti à dignitate ante tempus.

M. Antoninus Pius Imp. ſucceſſorem viventi bono Judici nulli dedit, niſi Orphito præfecto urbi, ſed petenti. *Capitolin.*

Anno Chriſti 1078. in Londinenſi concilio Vulſtanus Vigornienſis Epiſc. ſanctitate vitæ multò clariſſimus (non tam
D quòd rudis ingenii eſſet, ſed ut potiùs in locum ejus, voluntate Gulielmi Conquæſtoris Regis, homo Normanus ſubrogaretur) coactus à Lanfranco Cantuarienſe Epiſcopo indumenta pontificalia deponere, divino animi ardore repentè inflammatus, Regi inquit: Melior te, his me ornavit, cui & reddam, atque deinde ad ſepulchrum Edovardi III. cujus beneficio Epiſcopus factus fuerat, profectus, & veſtitu inſigni ſe exuens, baculum ita altè in lapide monimenti infixit, uti nulla vi extrahi poſſet. Quo miraculo Rex, & Lanfrancus territi, magnopere virum ſanctum orarunt, ut ſumptis indumentis inſignibus, ſuo potiretur honore.

Indefinita, Perpetua, Dignitas prorogata ultra tempus.

Cæſar Dictator conſulatum geſſit continuum: ſive, ut *Appianus in ſecundo* ſcribit, conſul per decennium continuum deſignatus fuit, calcatis legibus: cùm magiſtratus is annuus eſſet, nec, niſi decem anni interfuiſſent, quiſquam poterat capere, ut Cicero tertio de Legibus ſcribit. Licèt tertium, & quartum conſulatum titulo tenus geſſerit, conſul ſimul & dictator exiſtens. Inſuper dictaturam, quæ ſemeſtris dignitas erat, perpetuam in ſe recepit, quia dictator in omnem vitam electus eſt. *Cuſp.* E

Auguſtus I. titulum Imperatoris perpetuum ſumpſit. Recepit, & morum, legumque regimen æquè perpetuum: quo jure quanquam ſine cenſuræ honore, cenſum tamen populi ter egit: primùm, ac tertium cum collega, medium ſolus. *Suet.*

INTERPOLATA DIGNITAS CONSERVATA per vicarium ſubſtitutum.

Mathiæ, Theophili F. Pontifici Judæorum, Herodes Rex propter ſeditionem excitatam cauſa aquilæ aureæ, ſacerdotium ademit. Ejuſdem Pontificatu accidit etiam alium Pontificem ad unam diem ſubſtitui, qua Judæi populariter jejunium celebrant. Nam Mathias ea nocte, quæ præcedebat diem jejunii, viſus eſt ſibi per ſomnum cum uxore congredi, & cùm ob hoc ad rem divinam faciendam non eſſet idoneus, Joſephus Ellemi filius adjutor vicarius propter cognationem ei datus eſt. *Joſephus lib. 17. cap. 18. Antiq.*

DIGNITAS, MAGISTRATUS, IMPERIUM NON CONSERVATUM.

REGNA, IMPERIA EVERSA.

F

Tit. Regna occupata, exempla quædam petenda. Illic Acquiſitio opulenta, hic Amiſſio Imperii, reſpectu diverſarum perſonarum, conſideratur.

Aſſyriorum Imperium in Sardanapalo defecit, ab Arbace Medo in Medium, & Babylonium ſubdiviſum. Cujus quidem Euſebius MCC. & XL. annos numerat. Diodorus Siculus MCCC. & LX. Ex Creſiæ ſupputatione, qua plurimum utitur in rebus Aſiæ narrandis Juſtinus, ex hoc numero ſexaginta adimit: nec de numero Regum conſtat Diodorus XXX. Reges fuiſſe Aſſyriorum ſcribit. Euſebius ſex, & triginta. Vellejus Paterculus tres, & triginta à Nino ad Sardanapalum, ita ut ſemper ſucceſſor regni fuerit demortui filius. *Vives in 4. de Civit. Dei, cap. 6.*

Perſarum regnum, quod in Cyro cœpit, Babylonii, & Medii regnorum acceſſione facta, Alexander Magnus Macedo evertit, cum CCXX. & ampliùs annos duraſſet. Alexandro ætat. anno XXXIII. mortuo, cùm XII. imperaſſet, velut confracta arca nummis referta, & pecunis reſilientibus, ad prædam jacentis imperii Græcanici undique à purpuratis accurſum eſt, G rapuitque quiſque quantum potuit. Itaque Leoſthenes palantem, & in ſemetipſam incurrentem potentiam Macedonum imitari Cyclopem dixit, qui eruto lumine, manus quoquoverſum porrigeret, ad nihil certi tendentes. Vel potiùs ut emortua corpora, ubi evolavit anima, non ultrà conſiſtunt, vel cohærent, verùm contabeſcunt: diſſolvuntur à ſe invicem, evaneſcuntque, & exoleſcunt: ita amiſſo Alexandro potentia illa palpitabat moribunda, vibrabat, & æſtuabat, Perdicis, Meleagris, Caſſandris, Ptolemæis, Seleucis, & Antigonis, ſicut ſpiritibus calentibus adhuc, pulſibuſque micantibus, & huc illuc jactatis, denique marceſcens, & contabeſcens intra ſe, ſcatuit tanquam vermibus ignavis Regibus, Ducibuſque torpidis. *Plut. orat. 2. de Alexandri fort.*

Ut Occidentale Imperium Romanum Honorio regnante domeſticis ſeditionum motibus, & externis armorum incurſibus, tutoribus, & ducibus regiis in excidium reipublicæ conſpirantibus, & barbaris acriore, quàm antè, impetu irrumpentibus eſt tentatum: ſic Valentiniano III. & Placidia matre rerum potientibus, quorum in altero ætas, & H prava educatio, in altera ſexus, & nimia in re adminiſtranda remiſſio improbata eſt, eiſdem turbantibus, ac ſævientibus barbaris, magis magiſque concuſſum eſt. *Sigon. lib. 12. Imp. occid.* Valentinianum porrò Imperatores illi per tempora exceperunt, quibus dominantibus fœda, ac miſerabilis ipſa demùm occidentalis Imperii labes eſt ſubſequuta. Hi ſunt enim, qui ipſas prorſus Occidentis provincias amiſerunt: hi ſunt, qui Romam iterùm, atque iterùm à barbaris captam, atque incenſam viderunt: hi, qui Italiæ dominatione exuti, nomen, gloriamque Romanam funditus everterunt: hi denique, qui clariſſimum Imperii Romani lumen, atque inveteratam populis nobiliſſimæ gentis auctoritatem penitus extinxerunt. Nam barbaris jam latè omnia ditione, libidineque tenentibus, non ſolùm antiqua Imperii majeſtas, ſed vetus etiam literarum, atque ingenii dignitas omnino evanuit. Neque enim in tanto bellorum ardore, ac quotidiana ſervitutis, neciſque formidine, priſtinis doctrinæ, atque eloquentiæ ſtudiis

ſtudiis vacare hominibus licuit. Itaque fœcunda illa eruditorum, difertorumque virorum propago, quæ uſque ad primam
A Gothorum in Italiam impreſſionem cum maxima omnium admiratione floruerunt, tetro ipſo Barbariæ tranſitu, tanquam infeſto rapidi cujuſdam aquilonis impetu, prorſus exaruit. *Sig. lib. 14. Imp. occid.*

Romanum Imperium anno Salutis 476. à primo ortu ſub Julio Cæſare 522. in Auguſto defecit. Odoacer Herulorum Rex, olim Oreſtis armiger: Oreſtem ipſum (qui Julium Nepotem imperio ſpoliarat, & Auguſtulum F. Imp. fecerat) cum Turcilingis, Scythis, ac Herulis Italiam occupans, Roma jam quartum capta, ſuperavit: ac Placentiam, ut illic interficeretur, miſit. Auguſtulum ejus filium (Momyllum aliàs dictum) cùm vix undecim menſibus Rempublicam tenuiſſet, exilio damnavit, in Lucullano oppido Campaniæ, abjecta imperiali majeſtate. *Cuſpin. Sigon. lib. 14. Imp. occid.*

Aiſtulphus Longobardorum Rex an. 752. Ravenna in Poteſtatem adducta, nullo inde nogotio cætera Exarchatus, Pentapoliſque oppida recepit in ditionem. Atque hic quidem finis Exarchatus, Græcorum Impp. præfecturæ fuit, quæ ſuperbè, atque impotenter per ducentos fermè annos Italiæ impetra-
B rat: finis etiam Imperii, cujus Ravenna poſt Honorium Auguſtum, qui Romam cum hac permutavit, perpetua ſedes, ac domicilium extitit. *Sigon. lib. 3. regni Ital.*

A Carolo Magno Francorum Rege captus Papiæ Deſiderius Longobardorum Reæ, & in Franciam adductus eſt. Hic finis regni Longobardorum in Italia fuit, anno, poſtquam Italiam occupaverant, ducenteſimo ſexto: Chriſti verò ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto. Cæterùm Longobardorum imperium ſævum ab initio, atque impotens, poſt Chriſtianam legionem, Catholicamque fidem aſcitam, mitius, ac benignius erat affectum. Teſtes ſunt rectæ leges eorum, quibus furta, latrocinia, rapinæ, cædes, adulteria ſeveriſſimè vindicantur, ac libertas, & fortunæ privatorum ſummo ſtudio conſervantur. Docent templa magnifica, & monaſteria ampliſſima, quibus, pietatis ergo ipſi potiſſimùm citeriorem Italiam exornarunt: baſilicæ Epiſcoporum, quas ampliſſimis præmiis honeſtarunt: inclyta oppida, quæ aut nova condiderunt, aut diruta inſtaurarunt: homines ſanctitate conſpicui, quibus honores eximios habuerunt: demum Pontifex ipſe, quem cum ditione, opi-
C buſque auxerunt, tum tanto cultu, ac reverentia proſecuti ſunt, ut moneate eo, regnum ipſum dimiſerint, monachumque induerint. Hæc autem omnia decora nimia una dominandi, ac dilatandi regni libido corrupit ita, ut etiam faſtigio regio, & inveterata jam Italiæ dominatione exuerit. *Sigon. lib. regni Ital.*

Achajus Scotorum Rex Fergufianam Hungi Pictorum Regis ſororem in uxorem duxit. Hungus moriens Dorſtorlorgum F. ſucceſſorem fecit. Eum Egenus frater ſubſtulit. Egenum Brenna uxor, Merchiorum Regis filium, Dorſtorlogi Regis mariti cædem ultura ſtrangulavit. Regnum hæreditario jure Alpino, Achaii Regis ex Fergufiana filio, Rex Scothorum Dongallus petebat. Picti peregrinum Regem averſati, Feredetho viro nobiliſſ. regnum deferunt. Dongaldus in belli apparatu perit, ſuccedit ei Alphinus. Is Feredethum acie vicit. Mox à Brudo (qui Brudo primum, deinde etiam Kennetho, ignaviſſ. Feredethi filiis populari tumultu interfectis ſucceſſerat) interfectus eſt, & abſciſſa cervice ludibrio habitus, anno Sal. 824. Ea victoria Picti elati,
D Cameloduni, quæ illorum regia fuit, poſt ſacra patrio more communi omnium gaudio peracta, contractis Chriſti Evangeliis ſimul, atque divorum ſtatuis jurarunt ſe nunquam bello quieturos, donec impia Scothorum gens, cui numen certò ſcirent infenſum, ad exitium fuiſſet perducta: ſanciverunt que ſi quis de pace, aut fœdere cum inhumana gente ineunda deinceps faceret mentionem, capite plecteretur. Senes aliquot contrarium ſuadentes fœdè pulſati, templo ſunt ejecti. Interea cùm Picti ſeditionibus inteſtinis laborarent, Brudus Rex reconciliatione fruſtra tentata præ mærore obiit. Succeſſit ei Druskenus frater, à Kennetho Scothorum rege maxima clade affectus. Pacem inde petens, cùm nulla, niſi regni poſſeſſione cederet, daretur, extremo prælio cæſus cum exercitu propè ad internecionem. Sævitum extemplo in omnem Pictorum regionem tanta feritate, ut præter duo propè hominum ad Anglos confugientium millia, quicunque Pictici nominis, extra Camelodunum pauculaſque munitiones fuerant inventi, occidione interierint: nulli religionis, ſexus aut ætatis, ad tantæ cladis fævitiam devitandam, profuit reverentia. Occupatas per hæc Pictorum regiones, Kennethus Scothorum nobilibus, pro meritis uniuſcujuſque eſt partitus: novis illis E nominibus aut à Ducibus, aut à promontorio fluviove aliquo inſigni (ut vetus erat genti mos) adhibitis: ut ſimul cum Pictis eorum memoria interiret. Camelodunum inde arcta cinctum obſidione, urgente fame inducias triduì obſeſſi impetrant. Noctu facta eruptione, ad DC. Scotorum excubitores obtruncant. Ea perfidia irritati Scoti, urbe expugnata, ferro, atque flamma in omnem ætatem, atque ſexum graſſati, vel matronas nobiliſſ. ad Kennethi genua provolutas trucidavere, ut ne unum quidem viventium marem, feminamve, qui extremis patriæ cineribus lachrymas daret, ſupereſſe paterentur. Mœnia inde ſolo æquata, cunctaque ædificia publica, & privata cum divorum templis incendio abſumpta. Quod flammæ ſuperfuit, id hoſtium immanitate dirutum. Itaque Pictorum regnum in Albione eſſe deſiit; cùm annos mille centum, & unum ſupra ſeptuaginta illic à Pictis fuiſſet regnatum, anno Salut. 839 Qui ad Anglos, & Britannos effugerant, cum paulò poſt contra Donaldum Scotorum Regem utramque gentem concitaſſent, victi Scoti, pacem turpiſſ. admiſere. Victores partiti inter ſe magnam agri Pictici Scotis adempti partem, Pictos de injuria conquerentes ad unum proſcriplere. *H. Boeth. lib. 10.* F

A Suenone Danorum Rege victus eſt Eldreus Anglorum Rex, in Normanniam pulſus. Et ſic regia dignitas Anglis in Albione adempta in Danorum gentem eſt translata, anno poſtea quàm Saxones primum à Vortigerno invitati venere in Britanniam nono circiter, ſupra quingenteſimum, atque viceſimum. *H. Boeth. lib. 11.*

Mahometus II. Turcarum tyrannus an. 1435. per LXVI. dies oppugnata Conſtantinopoli, terra marique, & tandem capta, Conſtantino rege in fuga interempto, Græcorum regnum à Conſtantino Magno conſtitutum, quod per MC. annos floruerat, evertit. *Crantz. lib. 11. Saxoniæ, cap. 34.*

DERELICTA REGNA. DIGNITATES.

Ericus Dux Pomeraniæ à Margarita Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ regina adoptatus, diuturno cum Ducibus Sleſvici & Vandalicis urbibus bello occupans, cùm Sveci proceres novum ſibi gubernatorem conſtituiſſent, regnis ſponte ceſſit, patriæ regionis angulum deligens ad quietem: proceribus jam G inclinantibus in Chriſtophorum nepotem ejus ex ſorore, Ducem Bavariæ. *Crantz. lib. 12. Vand. cap. 10.*

Chriſtophoro Danorum, Svecorum, & Norvegiorum Rege mortuo, Suenones ex ſua gente Regem creavere, opulentiſſimum militem, Carolum Kanuti, ex infimo nobilitatis gradu delectum. Daniæ, atque Norvegiæ proceres, indignati de Svecorum à ſe diſceſſione Regem ſuum dixere, quem regina vidua maritum dignaretur, Chriſtianum (quem dixere more ſuo Chriſtiernum) de Aldemburg, & Delmenhorſt comitem. At Carolus annis vix ſeptem in regno exactis, cùm Eccleſiis pariter, & oppidis æquè gravis immineret: omnibus ordinibus odioſus, regni theſaurum tutis in locis depoſuit, & brumali tempore in ipſo Carniſprivio, cùm omnis regio convivali luxu debaccharetur, Gedanum profectus eſt. Nobiles regni, atque prælati, communicato concilio, Chriſtiernum Daniæ, atque Norvegiæ Regem in regnum vocaverunt. *Crantz. lib. 5. Sveciæ, cap. 39.*

Bonifacius IIX. Pp. contra Andream Venetum Regem dederat Hungaris Carolum Robertum, an. 1299. Sed pleriſque H procerum vehementer hic ritus novus, ratum habendi, quidquid Romanus Pontifex, etiam in ipſo Rege declarando, conſtitueret, diſplicebat. Archiepiſcopus proinde Coloniensis omnibus Ordinibus diem comitialem indixit, nominavitque Venceslaum Regem Bohemiæ, & Poloniæ. Legati adeò properè miſſi, rati eum alacrem cum gaudio illud acceptuum, audiunt eum vultu demiſſo gratias benignè agentem, quòd ſe dignum duxerint, quem Regem Hungariæ appellarent: ſed ſibi nullo ampliùs regno opus eſſe, cùm duobus iſtis, quæ poſſideat, plus ſatis oneretur. Nec ulla perſuaſione de hac ſententia dimoveri potuit. Ad extremum tamen exorare ſe, quanquam cunctanter admodùm, paſſus eſt, ut filium ſibi cognominem Venceslaum vix decennem daret Hungaris Regem. Bonifacius intereà ſacris in Hungaria interdixit omnibus, qui Venceſlaum ſequerentur, & in ſeniorem Venceslaum, junioris patrem, Cæſarem Albertum concitavit, ſed vano exitu. Venceſlaus inde videns, filium diſſolutiore educatione ab Hungaris corrum-

corrumpi, & propter intęſtina odia in magno verſari periculo, cum exercitu in Hungariam profectus, miſit Budam ad filium, ei injungens, ne Danubium traiiceret, neve in conſpectum parentis prodiret, niſi coronatus corona illa, quam Hungari ſanctam vocarent. Nam ſi pro ſancta habetur, impiè agere omnes eos, qui per impia arma illam violarent. Aſſentientibus, qui aderant, Proceribus, juſſa facit filius, & cum corona apparet. Venceslaus aliquamdiu coronam contemplatus, ſeponi illam juſſit, quaſi diligentiis paulò poſt conſideraturus, nec deinde illam Hungaris reſtituit, (prætendens futura pericula, ſi illa vel amitteretur, vel per vim ab æmulo interciperetur) ſed unà cum filio ſecum in Bohemiam aſportavit, Patermanno Budæ relicto, qui præfecturam gereret. At in eo ad ſedandos graviores tumultus invalido, & civibus per avaritiam, proceribus per contemptum inviſo: ab Hungaris electus fuit Otho Bavariæ Princeps. Nec is regnare abnuit, ſi Venceslaus pro derelicto regnum illud haberet. At Venceslaus tam nobile regnum nullo in fructu ſuo, ſed in mero planè beneficio reponens, largitus eſt promptiſſimè Othoni gratuitam coronam cum omni jure, quod filius in regnum Hungariæ habebat. Ea corona Otho, à Benedicto Veſperinenſi, & Antonio Chanadienſi Epiſcopis, in loco ſolito coronatus eſt. *Dubrav. lib.* 18.

ABDICATI SPONTE.

Moris erat, ut quibus imperium certa de cauſa abrogandum erat, ii dignitati & exiſtimationi ſuæ conſulentes, per ſe, & quaſi ſua ſponte magiſtratum deponerent, ſeſeque privatos redderent, quod in P. Lentulo Prætore factum videmus in tertia Catilinaria, de quo Senatus cenſuit, ut cùm ſe Prætura abdicaſſet, tum in cuſtodiam traderetur P. Lentulus, inquit, quanquam pateſactus indiciis, & confeſſionibus ſuis, judicio Senatus non modò Prætoris jus, verùm etiam civis amiſerat, tamen magiſtratu ſe abdicavit. Hoc autem Græci ἀφίεσθαι τῆς ἀρχῆς dicunt, Deponere magiſtrum propriè dicebantur, qui eum confecto tempore populo Romano reddebant. *Hotom. comen. Verb. juris.*

Tarquinius Collatinus cum L. Junio Bruto primus conſul creatus poſt exactos Reges, ob nominis invidiam, & quia in Aquiliorum proditorum cauſa populum offendiſſet, ultrò abdicavit magiſtratu, & in exilium ivit. *Plut. in Valer.*

Q. Fabius Maximus, cum rem divinam feciſſet, concentus foricis auditus eſt. Quæ vox cùm diri aliquid portendere videretur, ne deos offenderet, dictaturæ honorem reſpuit. *Valer. Max. lib.* 1. *cap.* 1.

C. Flaminius, ſacrificans cùm foricis vocem audiviſſet, magiſter equitum eſſe noluit, ne reclamantibus Dei honorem, & potentiam amare diceretur. *Val. Max. lib.* 1. *cap.* 1.

Q. Fabio Max. dictatori cum M. Minutio magiſtro equitum adæquata fuit poteſtas Romæ ſine ullo exemplo primùm, poſt cladem verò Cannenſem repetitum, quo tempore ad exercitum M. Janius dictator fuit. Cùm autem ſupplendus in urbe ſenatus eſſet, multis in acie cæſis ſenatoribus, alterum dictatorem creavere Fabium Buteonem. Cæterùm hic eodem, quo in publicum progreſſus, ſenatum legit die, dimiſſis lictoribus, & proſequentium rejecta turba, mediæ plebi ſe injecit, atque immiſcuit, ſuaſque res agens, & curans, in foro privati more verſatus eſt. *Plut. in Fabio.*

Flamen Dialis apud Romanos, mortua uxore, ſacerdotio ſe abdicat. *Scaliger. lib.* 3. *Poetices cap.* 100.

L. Sylla dictaturam perpetuam paulò ante mortem depoſuit. *Plut.*

Diocletianus Imp. magnis rebus geſtis, tanquam blandis fortunæ obſequiis ſatiatus, poſt hac in otio vivere curis publicis vacuus cupiens, hujus decreti fui Maximianum participem fecit, cumque, licèt reluctantem, obſequi voluntati ſuæ coegit, ut Imperium, quod ſecum ceperat, ac ſecum admirabili concordia geſſerat, ſecum item eadem animi æquitate deponeret. Itaque eo conſilio, quod viventibus, poſteriſque omnibus, dulcedinem imperandi ſpecie tenus ſolummodo intuentibus plus allaturum admirationis erat, quàm æmulationis, explicito, Diocletianus Nicomediæ Galerium, Maximianus Mediolani Conſtantinum Auguſto, ex Cæſaribus declararunt XI. Kal. Maii, an. 307. quo die viceſimus Diocletiani Imperii annus abſolvebatur. Inde ambo templum Jovis ingreſſi populis audientibus ita dixerunt: Recipe Jupiter Imperium, quod mihi commodaſti: quod ego ita depono, ut reſumpturum non eſſe, ſanctum tuum teſtatus numen, adjurem. Atque his dictis, protinus ipſis ſe Imperii inſignibus, ſtupentibus hominibus potiùs, quàm probantibus, exuerunt. Diocletianus inde Sanam in patriam, Maximianus in Lucaniam, vitam in otio traducturi ſe contulerunt, memorabile poſteris moderati exemplum animi prodituri, niſi quam laudem virtutis bene gerendo imperio peperiſſent, eam univerſam injuſtè Chriſtianos vexando corrupiſſent. Diocletiani verò præcipua fuit gloria, ut qui poſteà de ratione depoſiti Imperii interrogatus, nihil difficilius eſſe, quàm benè imperare bono etiam, cautoque Imperatori, reſponderit. Nova certè, quæcunque ea fuerint, in eo hæc duo contigerunt, quod primus, ut oratores dixerunt, Imperium & communicavit, & poſuit. *Sigon. lib.* 1. *Imp. occid.*

Veremundus à Froila Rege Aſturum adoptatus, Vimarani ab eodem fratre interfecti F. Mauregato Rege mortuo Rex factus, ex Imilone Ranimirum, & Garſim ſuſcepit. Cæterùm religionis conſcentia, quòd Diaconi gradum olim ſuſcepiſſet, Poſt duos annos ſponte abdicavit, & Aldephonſum Froilæ F. exulem revocavit. *Roderic. Toletan. lib.* 4. *rer. Hiſp. cap.* 7.

Gregorius XII. & Joannes XXIII. patrum noſtrorum memoria in concilio Conſtantienſi, cui Imperator Sigiſmundus interfuit, ultrò Pontificatus titulo ceſſerunt. *Ful. lib.* 1. *c.* 1.

Lucius Malvetius Bononienſis, prævidens, fore, ut ſibi imperium Veneti exercitus abrogaretur, litteras ad Patres dedit: ſenem ſe factum, minuſque ab belli munera, & labores obeundos idoneum, quàm anteà fuerit: itaque cupere artem deſinere, ſi per eos liceat, atque ad requiem ſe vitamque reliquam dare, petere, ut liceat. Quam quidem ejus petitionem Patres opportunè oblatam libentes acceperunt, honorificoque reſponſo miſſum eum fecerunt. *Bembus hiſt. Ven. lib.* 11.

Reutha Scotorum Rex VII. qui, à bellis externis otium nactus, populum primùm malis efferatum, deinde victoria etſi cruenta inſolentem ad mitiorem cultum redigere conatus, multas ſanctiones utiles fecit, & à ſubditis honoratus eſt. Adverſæ valetudinis tædio, ſeu propinqui, vel nepotis ex fratre Therei ambitioſum timens ingenium, multa de laudibus ejus habita oratione: populo id ægrè permittente, regno ſe abdicavit. A. M. 3794. regni 17. *H. Henninges in Geneal.*

DEJECTI, ABACTI.

☞ *Abacti magiſtratu dicuntur Feſto, qui inviti depoſuere.*

Abrogare magiſtratum dicitur, qui legem fert ad populum, ut is magiſtratu ſuo ſpolietur. *Cicero in Corneliana.*

A SACERDOTIO, PONTIFICATU.

Pontifices, Epiſcopi.

Heli pontifici minatur Dominus, Pontificatum ab ejus familia ad aliam familiam transferendum. Id quod multis poſt annis factum eſt: Nam cùm ex familia Achimelech nepotis Heli, ſolus ſuperſtes eſſet Abiathar, Davidis errorum ſocius, atque comes, & is tandem cum Adonia Davidis filio regnum affectante ſenſiſſet, Salomon, Davide mortuo, eum ſacerdotio privavit, & rus relegavit, & Pontificatum Sadoc de familia Phintes Aaronis filii (qui frater fuerat Ithamar, à quo Heli familia deſcendebat) tradidit 2 *Reg.* 2.

Apud Judęos Pontificatus honor ſemel aſſumptus ſolet eſſe perpetuus. Primus Antiochus Epiphanes eam legem violavit, pro Jeſu ſubrogato fratre ipſius Onia, qui & Menelaus. Secundò Ariſtobulus ab Hyrcano fratre eum honorem in ſe tranſtulit. Tertius Herodes Ariſtobulum Alexandri F. adoleſcentem vivo adhuc Pontifici Ananelo ſucceſſorem dedit, atque ita tum viſus eſt diſcordiæ domeſticæ attuliſſe remedium. *Joſeph. lib.* 15. *cap.* 3. *Antiquitatum.*

Jeſus Phabetis F. Pontificatu abdicatus ab Herode Rege, & in ejus locum ſubſtitutus Simon, cujus filiam ducturus Rex, honoris acceſſione eum ornare volebat. *Joſeph. lib.* 15. *cap.* 12.

Simon Boethi F. Pontificatu dejectus ab Herode genero, quia filia ejus in Herodis mariti perniciem conſpiraſſe videretur. *Joſeph. lib.* 17. *cap.* 6.

Mathiæ Teophili F. Pontifici ademit ſacerdotium Herodes Rex, quaſi non alienus à ſeditione propter aquilam auream orta: eique ſucceſſorem dedit fratrem uxoris ſuæ Joazarum, eo quòd pridie viſus eſſet ſibi in ſummis cum uxore congredi. *Joſephus lib.* 17. *cap.* 8. *Antiq.*

Ananus Anani F. Judæorum Pontifex, quia D. Jacobum (quem fratrem Jeſu Chriſti vocabant) lapidandum tradidiſſet, Albioque (qui Feſto demortuo ſuccederet) adhuc in itinere agente, ab Agrippa Rege dignitate privatus eſt. *Joſeph. lib.* 20. *cap.* 8. *Antiq.*

Silverium Romanum Epiſcopum Antonina, Beliſarii uxor, ficto crimine, quòd Romam Gothis prodere voluiſſet, in Pontiam inſulam deportari curavit. Revera autem Theodora Juſtiniani Imp. uxor, propter Anthemium patriarcham Conſtantinopolitanum hæreticum, ab Agapeto depoſitum, Romanis irata, Beliſario mandavit, ut Silverium Romæ viciſſim ab Epiſcopatu deiiceret. *Paulus Diaconus l.* 16. *rerum Roman.*

Conſtantinus ex laico creatus pontifex quorundam factione, ſed à ſynodo dejectus eſt, conſtitutumque, ut quos ipſe ordinaſſet Epiſcopos, ad eum gradum redirent, quem anteà habuiſſent: & examinati denuo, ſi digni invenirentur, conſecrarentur: presbyteri verò, & diaconi ſimiliter ad priorem gradum reverſi, & ipſi quidem, ſi digni eſſent, denuò conſecrarentur, ſed ad altiorem gradum non aſcenderent: laici verò ab illo Diaconi vel Presbyteri ordinati, omnino degradarentur. An. Domini, 768. *Sigiber. in Chronico, Blond. l.* 1. *Dec.* 2.

Poſt Caliſti II. è Gallia in Italiam adventum Gregor. IIX. pſeudo pontifex ab Henrico V. dictus Sutrii ſe continuerat, Comitum quorumdam præſidio ſeptus. Hi inflati inſeſtas latrociniis vias habuerant, eoſque, qui Romam tenderent, ſpoliarant. Ob id Caliſtus ira incenſus collecto exercitu ad Sutrii obſidionem Joannem Cremenſem Cardinalem miſit. Gregorius à Sutrinis ſubitò deditus, & in Cavenſe monaſterium incluſus, inglorius mortem oppetiit. *Sigon. l.* 10. *reg. Ital.*

Joannes XXIII. pontifex abdicare ſe Epiſcopatu, & Sacerdotio compulit Hugonem Cadurcenſem Epiſcopum privatum omnibus pontificalibus inſignibus, annulo, mitra, cappa, pileo, camaſiaque Romana. Degradatum inde, & curiæ ſeculari traditum, omnibus cruciatibus cogit vitam cum morte commutare, quòd in pontificem conjuraſſet. *Platina.*

Gulielmus dux de Monte, Paderburnenſis Epiſcopus factus, dejecto Bertranda Italo, Archiepiſcopatum Colonenſem ambiebat, multis adſtipulantibus. Sed major pars Canonicorum Theodericum de Morſa elegere. Intereà dum Gulielmus ad concilium Conſtantienſe provocat, æmuli per ejus abſentiam Epiſcopatu quoque Paderburnenſi eum privant. Ergo Gulielmus, cum nullis adhuc dum ſacris initiatus eſſet, animo à rebus Eccleſiaſticis averſo, Theoderici Archiepiſcopi neptem ex ſorore, filiam comitis de Tekenborg, accepit conjugem. Nuptiæ in arce Arnsberg, præſente Archiepiſcopo, ſumma celebritate peractæ ſunt. Ita ultus eſt adverſario. Eccleſia Paderburnenſis in adminiſtratione Theoderici ad finem vitæ ejus permanſit. *Crantz. l.* 11. *Metrop. c.* 18.

Joannes XXIII. pontifex in concilio Conſtantienſi dejectus, ſubſtituto Martino V. variis agitatus caſibus, tandem ultrò Florentiam ad Martinum profectus, exoſculato illius pede, eundem, audientibus omnibus, ut verum pontificem, & Chriſti vicarium, canonicè electum, ſalutavit. Martinus viciſſitudine rerum humanarum motus, poſt aliquot dies hominem in numerum Cardinalium adſcifcens, Epiſcopum Tuſculanum creavit, atque deinceps eo habuit in honore, quo reliquos Cardinales tam publicè quàm privatim. Verùm aliquot poſt menſes Florentiæ mortuus eſt, & ſepultus magnificè in templo ſancti Joannis. *Platina.*

In ſchiſmate trium Pontificum, ſub Sigiſmundo Imperatore concilio Conſtantiæ habito, Petrus Luna, qui ſe Benedictum XIII. cognominabat, magiſtratu ſe abdicare recuſabat. Licèt enim ab oratoribus regum Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Navarræ, Aragonum, Caſtellæ, Legionis, Portugalliæ, & Algarbiæ admonitus eſſet, qui omnes ab ejus obedientia ſe ſubtrahebant, à Sigiſmundo Imperatore perſuaſi, pertinaciſſimè tamen renitebatur. Ob id efficto ſimulachro, veſtibus, & ornamentis ordine ſpoliato, non ſine magna nominis ſui infamia ſummo Sacerdotio dejectus eſt. *Cuſpinianus.*

Baſilienſe concilium ex Martini V. Pontificis inſtituto cœptum. Ad quod Eugenius IV. vocatus, quia parere noluiſſet, dignus judicatus eſt, cui Pontificatus abrogaretur. Amadeus dux Allobrogum Pontificatus ſpe adipiſcendi Baſileam accerſitus, cum duobus filiis eò profectus eſt. Vixerat is annos circiter quadraginta in florentiſſimo principatu. Subiit inde tædium rerum humanarum, inſtituitque eremiticam vitam, ſumpſit & pallium eremiticum, per quæ magnum erat nomen ſanctitatis adeptus: cùm ad ejuſmodi honoris illecebram caput extulit, pallioque, & barba depoſitis, ſe reddidit ſeculo, arriſitque illi fortuna primo conatu. Baſileam profectus, magno omnium conſenſu Pontifex declaratur, ipſe ſe Felicem quintum vocat. Favere novo Pontifici Carolus Galliæ, & Alphonſus Aragoniæ Reges, Philippus Vicecomes, Friderieus Imperator. Cæterùm hominum favore paulatim deſtitutus, quàm multa pro Pontifice geſſiſſet, in ordinem redactus, in ſupremo antiſtitum ordine ad exitum vitæ manſit. *Sab. l.* 3. *Enn.* 10.

Sacerdotes.

Degradatio vulgò dicta, ita fieri ſolet in Chriſtianorum Sacerdotibus. Hœreſeos damnatus à judice Eccleſiaſtici ordinis induitur ſacris veſtibus, inque manus ei traditur calix cum vino, & aqua, ſed & patella deaurata cum pane azymo. Sic in genua procumbentibus vicarius Epiſcopi tollit, & adimit ea, quæ diximus, & ſimul mandat, ne poſthac ſacrum faciat pro vivis, aut mortuis. Lamina deinde vitrea radit ei digitos, injungens, ne rem ullam deinde conſecret. Poſt hæc reliquum apparatum omnem aufert, uſus ad ſingula certis quibuſdam imprecationibus. Cùm jam exemptus eſt ille numero Sacerdotum, reliquis etiam gradibus, per quos ad Sacerdotii dignitatem veniri ſolet, exuitur. Sic denudatus, aliiſque veſtibus prophanis indutus; traditur magiſtratui: deprecante interim Epiſcopi vicario, ne quid in ipſius vitam, aut corpus etiam ſtatuatur gravius.

Flamines.

Cor. Cethegus, & Q. Sulpitius flamines Sacerdotio privati ſunt: hic, quòd inter ſacrificandum apicem (quem flamines ferebant) de capite cadere permiſiſſet: ille, quòd exta victimæ non ritè admoviſſet.

IMPERIO, REGNO.

Aſa Judæorum Rex, matrem ſuam Maacham, Abſalonis filiam, propter ædificatum Pani ſacellum, regno privavit. *Lib.* 3. *Regum c.* 15.

Leotychides nothus, mortuo Agide patre, Ageſilai patrui conviciis, ſuaſionibus, & opibus, Spartanorum regno excidit. *Plut. in Lyſandro, & Ageſilao.*

Demaratus Rex Spartanorum, à Leptychide accuſatus, quòd Ariſtonis Regis filius non eſſet, ſed ex adulterio matris nothus (conſentiente etiam Pythia, quæ à Cleomene Demarati inimico corrupta fuerat) regno dejectus, ad Medos transfugit, & in magno apud illos honore fuit. *Herod. l.* 6.

Cùm aliquot dies Lacedæmonii, duce Cleomene, Piſiſtratidas tyrannos obſediſſent Athenis in arce, Spartam abiere. Intereà filii Piſiſtratidarum, qui clàm extra regionem mittebantur, intercepti ſunt. Quo facto, omnes eorum reſperturbatæ ſunt, ita ut pro redimendis filiis ad voluntatem Athenienſium tranſegerint, ut quinque diebus ex Attica excederent. Ergo in Sigæum, quod eſt ſupra Scamandrum, conceſſerunt, cùm ſex, & triginta annos regnaſſent. *Herod. l.* 5.

Dino fretus non tam ſuis copiis, quàm odio tyranni Dionyſii, maximo animo duabus onerariis navibus, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis navibus, decem equitum, centumque peditum millibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile eſt viſum, adeò facilè perculit, ut poſt diem tertium, quàm Siciliam attigerit, Syracuſas introierit. Ex quo intelligi poteſt, nullum eſſe imperium tutum, niſi benevolentia munitum. *Plutarch. in Dione.*

Poſt Hieronem Thraſybulus cùm regnum optimis artibus à Gelone acquiſitum familiæ ſuæ acceſſiſſet; per improbitatem, & ſcelera turpiter amiſit, pulſus à Syracuſanis: cùmque Locros confugiſſet, reliquum ibi ætatis ſtatu privato conſumpſit. *Diodorus l.* 11.

Æacides Epirotarum Rex, volens Olimpiadi ſuccurrere, contra Caſſandrum, adverſæ factionis homines proſcripſit. Qui Epirotarum exauctorati in patriam diſceſſerant, ſeditionem contra abſentem Regem fecerunt, & communi decreto eo in exilium damnato, cum Caſſandro ſocietatem iniverunt: quod quidem nunquam anteà contigerat in Epiro, ex quo Neoptolemus Achillis filius in ea regione regnaverat. Semper enim filius patris principatum excipiens in regno moriebatur, uſque ad hæc tempora. *Diodorus l.* 19.

Tarquinius Superbus primus fuit, cui apud Rom. Abrogatum fuit imperium: Propter inſolentiam enim regno pulſus cum ſuis, Sabinorum primò, mox Porſenæ regis Hetruſci, tandem Latinorum armis reditum fruſtra tentans, poſt victos à Rom. ad lacum Regillum Latinos, Latio ejectus, cùm jam nonagenarius eſſet, Cumas ad Ariſtodemum tyrannum ſe contulit: ubi regno, patria, opibus privatus, neceſſitudinum omnium inops, paucis diebus fato deceſſit. *Sabellicus l.* 8. *Enn.* 2. *ex Liv.*

Avitus Arvernus, vir bello, paceque clarus, ad Theo-
A dericum Gothorum Regem Tholoſam miſſus erat à Ma-
ximo II. Imper. ad pacem renovandam. Intereà cùm Ma-
ximus à ſuis cæſus, Roma à Vandalis direpta eſſet, Theo-
dericus Pacem, quam petis, inquit, ultrò dabo, atque ad
abolendam eam, quam Alaricus Roma capienda contraxit,
invidiam, arma pro Romanis ſumam, ſi modò ego te ad
nomen Auguſti recipiendum inducam. Atque his dictis,
quæ ſpopondit data dextera confirmavit. Profecto inde in
Arvernos Avito, cives, his cognitis, gaudio alacres occur-
rerunt, atque ignaro tribunal conſtraverunt, & convoca-
ta nobilitate ipſum ad Auguſtalia ſumenda inſignia cohor-
tati ſunt: ſatis meritorum in eo dicentes hærere, in quo vir-
tutis plurimum eluceret: rogante, ut difficillimo Galliæ
tempore tribunal aſcendat, quæ hac opinione imbuta ſit,
ſe illo principe libertatem, dignitatemque veterem poſſe re-
cuperare. Ita ſuborta omnium acclamatione dies ad defe-
renda inſignia deſtinatur. Poſt diem verò tertium proceres
Galliæ citis evocati nuntiis, cùm in conſilium conveniſſent,
Avitum, militibus circumfuſis, Auguſtum, atque Impe-
rii vindicem appellarunt. Avitus ſtatim Senatum Romanum
de dignitatis ſuæ provectione commonefecit, ſeque ad jura
B ex æquo moderanda, & rempub. viribus defendendam pa-
ratum eſſe oſtendit. Rebus Galliæ ex ſententia conſtitutis,
Gothicis ſuffultus auxiliis, Romam acceſſit, atque ab om-
nibus benignè exceptus, res tractare pro ipſo Imperii jure,
nemine contradicente, inſtituit. Quibus perfectis, tanquam
ab omni periculo ſeditionis ſecurus, Gothos demum re-
miſit, ac ſeſe Romanorum præſidio tradidit. Qua re ani-
madverſa, Senatus, ſive luxurioſa ejus vita, ut quidam tra-
didere, permotus, ſive Marciani Auguſti imperio obſequu-
tus, paratis occultè auxiliis, repentè cum invaſit, ac nul-
lo negotio urbe dejecit. Itaque languido, atque infirmo ad-
modum comitatu iter ingreſſus, Placentiam adiit; Ricimer
Suevus, magiſter militum, tanquam officii cauſa ad eum
acceſſit, ac juſſu Marciani tumultu concito ipſum com-
prehendit, & Imperio ſe abdicare coegit. Avitus autem im-
perio dimiſſo, ne privatam vitam ex tanto faſtigio, unde
repentè detractus admirabili fortunæ inconſtantia erat, in-
greſſus omnino contemptui haberetur, Eccleſiam Placen-
tinam, quæ vacabat, accepit, & pro Imperatore, Epiſco-
pum induit. Mox autem cùm ſenſiſſet, Senatum adhuc ira-
C tum ſibi, licèt jam Epiſcopo, inſidiari, inde diſceſſit, atque
ad baſilicam S. Juliani martyris in Arvernos ire contendit.
Verùm in via morbo intempeſtivo oppreſus, ne id quidem
aſſequi morte præventus potuit, vir propter egregiam animi
indolem, virtutiſque præſtantiam, à Sidonio præcipuè cele-
bratam, hoc rerum, & vitæ exitu indigniſſimus. *Sigon. l.14.*
Imp. Occid.

Romani neceſſitate coacti Alarico Gothorum regi ſe dedi-
derant, ac receptis ejus legatis, ipſum ad urbem vocarant,
& Placidiam Honorii ſororem, tanquam fidei obſidem,
ab eo petitam conceſſerant. Quo facto ille juſſit, ut Attal-
lum præfectum urbis infignibus Imperatoriis ornatum in
Auguſtali folio collocarent. Quod illi obedienter egerunt.
Ipſe præfecturam militiæ pedeſtrem obtinuit. Inde cùm ſe
ab Attalo propter infirmitatem promiſſa obtinere poſſe diſ-
fideret, iterùm ſe ad Honorium contulit, ac ſe Imperium
Attalo abrogaturum promiſit. Ita haud ægrè, quæ poſtu-
labat, omnia impetravit. Primum autem Attalum, ſuis in-
ſpectantibus, extra urbem Auguſtalibus inſignibus ſpolia-
vit, eaque ad Honorium miſit. Attalo cum ejus Ampelio
apud ſe, donec pace cum Honorio conſtituta, ſecuritatem
D eis impetraſſet, retento, atque exercitu ad urbem relicto, cum
paucis Ravennam pacem compoſiturus ſe retulit, atque ad Al-
pes, locum, ut inquit Sozomenus, ſtadiis ſexaginta longè ab
urbe illa diſtantem acceſſit. Ibi demùm res tranſacta, fœ-
duſque his conditionibus eſt percuſſum, ut Alaricus ſocius
Honorii eſſet, atque in Gallia ſedes ſibi, ſuiſque locaret, ibi-
que bellum cum hoſtibus Honorii faceret. Perfidia autem Sa-
ri, qui Gothos ex inſidiis adortus fuerat, commotus, Romam
regreſſus, quaſi in Galliam profecturus, per 300. Gotho-
rum robuſtiſſimos, principibus Romanis dono datos, noctu
urbem occupavit, diripuitque. Attalum, quem ſecum ha-
bebat, iterum primo die, tanquam Imperatorem, auguſta-
libus inſignibus decoratum incedere juſſit: altero verò pri-
vatum populo contumeliæ cauſa oſtendit: tertio autem præ-
da opulenta onuſtus urbe cum exercitu ceſſit, ſecum Placi-
diam ducens, quam honeſtiſſimè habuit. *Sigon. l.10. Imp. oc-*
cid. ex Zoſimo, & Sozom.

Jul. Nepos à Leone Imper. Conſtantinopolitano occi-
dentis Cæſar contra Glycerium à militibus elatum deſi- E
gnatus, cum in oppido Porro prope Romam obſeſſum,
atque captum, Imperii deponere inſignia compulit, eaque
mox ipſe induit Glycerio, ne privatus ludibrio haberetur,
Eccleſia Salonenſis in Dalmatia attributa. *Sig. lib.14.*
Imp. occid.

Occupata ab Heraclio Conſtantinopoli, Photinus Pho-
cam Imp. in Regiam confugientem uxoris ſuæ ſtupratorem
imperio dejecit. *Cedrenus.*

Marcianus filius Anthemii Imp. Zenonis æmulus, victor
acie, cùm rem in craſtinum differret, à ſuis deſertus, ſolus ad
templum Apoſtolorum ſupplex confugit. Inde extractus,
primùm Cæſaream Cappadocum, deinde Tarium Ciciliæ,
abductus eſt, ibique capite raſo presbyter factus. *Nicepho-*
rus c.22.

Leontius Imperator, cùm annos tres imperaſſet, à Tibe-
rio Aſimaro coactus, in monaſterio Dalmatii monachus
factus.

Theodoſius III. à Leone Cononе duce Orientalium co-
piarum Imperio dejectus monaſticam vitam amplecti coactus.
Cuſpin.

Anaſtaſius Arthemius à Theodoſio publicorum vectiga- F
lium exactore Imperio dejectus, presbyter ordinatus, ne de
Imperio poſſet cogitare ampliùs. Relegatus inde Theſſaloni-
cam cùm res novas moliretur, ad Bulgaros transfugiſſet, à
Leone III. qui Theodoſio III. ſucceſſerat, interficitur. *Idem*
in ejus vita.

Romanus Lacapenus coactus à Stephano filio ſuo, cum quo
23. annos imperat, imperio ſe abdicavit, & in Monaſterium
inſulæ Protes relegatus eſt.

Stauratius Nicephori filius, anno imperii 7. à Michaele
Rancabe coactus, monachus factus eſt in monaſterio Thebra-
jaca à ſe condito.

Michael Rancabes, cùm annum unum imperaſſet, à Leo-
ne V. monaſterium inſulæ Protes cum filio relegatus eſt.
Zonaras.

Michael VII. Ducas Patapinaceus, imperii anno 6. à Nice-
phoro Botaniate coactus, Monachus factus in Monaſterio Stu-
dii, & non longè poſt Metropolites Epheſi creatus obiit in
Monaſterio Manualis. *Zonaras.*

Nicephorus III. Botaniates, exacto Michaele VII. impera-
vit annis 3. ſed ab Alexio Comneno Iſaacii filio (quem Me- G
gadomeſticum creaverat) Conſtantinopoli in Monaſterium
Peribleptæ detruſus eſt.

Bardas Phocas, contra Joannem Zimiſcem Cæſar Cappa-
dociæ ab exercitu Orientali dictus, ſed à Joanne victus, cleri-
cus factus, in Chium inſulam relegatus eſt.

Baſiliſcus filius Harmatii à Zenone Cæſar creatus, ab eodem,
mortuo Harmatio, cùm de ejus fide dubitaret, Sacerdos fa-
ctus, & Eccleſiæ Cyzicenæ præfectus eſt.

Nicephorus, Chriſtophorus, & Nicetas filii Conſtantini
ſexti Copronymi, cum patre, & fratre Leone IV. imperarunt
annis x. Poſteà ab ipſorum nepote Conſtantino VII. dejecti,
clerici facti ſunt.

Conſtantinus Copronymus, Artabaſdum, qui Dory-
lai erat, ſtudiis popularum erga eum permotus, opprimere
eſt conatus. Qua re cognita, Artabaſdus Conſtantino in fugam conjecto, Conſtantinopolim advolavit, ac
ſacris imaginibus reponi per urbem juſſis, extemplò ab
omnibus ordinibus Imperator eſt ſalutatus. Anaſtaſius
patriarchia in concionem aſcendit, ac tenens crucem Do-
mini, ita dixit: Per eum, qui huic ligno affixus eſt, ju-
ro, Conſtantinum Copronymum hæc mihi verba dixiſſe: H
Noli credere, quem Maria peperit, Chriſtum, filium Dei,
ſed purum hominem eſſe, ita enim eum Maria mater pepe-
rit, ut & me Maria mater mea. Quibus vocibus auditis, po-
pulus inflammatus, extemplò ei imperium abrogavit. *Sig.*
l.3. reg. Ital.

Longobardi regni Hildeberandi pertæſi, ipſum poſt ſep-
tem menſes de regno dejecerunt, idque Rachiſio Du-
ci Forojulienſi ob virtutis ejus præſtantiam detulerunt.
Idem.

Hyldovinus Dionyſiarius, Vala Corbejenſis, Abbates, Eb-
bo Rhemorum Epiſcopus, Hugobertus Lugdunenſis, Bernar-
dus Viennenſis, ac quidam alii Epiſcopi, & Machofridus, Hu-
go, Laudbertus, aliique Celtarum principes, Ludovico Pio
ob uxoris Judithæ libidines, & tyrannidem abrogarunt magi-
ſtratum, & Lotharium, ac Pipinum filios Cæſares deſignave-
runt. Imperator Neomagi in conventu copiis Germanorum
adjutus,

adiutus, conſpirationis auctores partim exiliis, partim bonis
A multavit, & filiis ignovit. Sed paulò poſt ſeditionem iidem
renovarunt, præſertim cum ſparſo rumore, quòd Ludovi-
cum Gregorius Pap. excommunicaſſet, plerique illum de-
ſerviſſent. Qua re motus pater, in poteſtatem filiorum ſe
ſe tradidit. Epiſcopi, & monachi Juditham uxorem ejus
in monaſterium includunt. Lotharius patrem circumdu-
ctum, Auguſtæ Sueſſionum in monaſterium Medardi ab-
didit, anno Domini 812. Sed biennio nondum exacto,
proceres Germaniæ, vi Lotharium coegere dimittere pa-
rentem, eique arma, imperium, & uxorem reſtituere.
Aventinus l.4. Annalium. Lotharius ſupplex patri recon-
ciliatus dignitatem imperii, & regni coronam accepit, an-
no Domini 839.

Carolus tertius Imper. Craſſus cognomine, ægritudine
corporis, & animi affectus, dum Francorfordiæ conventum
agere, omnes ſubitò proceres, maximè Franci, Turingi,
Boii, Saxones ab eo defecerunt, connitente Hyldarga ſo-
rore Caroli, & Arnulphum, regulum Bojorum, filium Ca-
rolomanni regis Italiæ, atque Bojariæ, ultro ad ſubcundum
imperii molem pertraxerunt. Carolum patrueli bellum indi-
cere parantem, Suevi quoque deſeruerunt. Imperator de-
B ſertus ab omnibus, etiam famulis, triduo integro, fame pe-
riiſſet, niſi Luibertus Moguntinus archymiſtes eum aliquot
dies paviſſet. Tandem Carolus filium nothum Bernardum
ſupplex ad nepotem miſit, ſe, atque prolem ejus fidei, ac
tutelæ commendavit: victum duntaxat oravit. Arnulphus
patruo Nidingam pagum Sueviæ, ubi habitaret, conceſſit:
redditus ejuſdem vici, unde victitaret, tribuit. Ita occiden-
tis ferè totius locupletiſſimus Imperator, eo fortunæ ludi-
brio paupertatis pervenit, ut de ſummo generis humani fa-
ſtigio ad ima deturbatus, obolo etiam eguerit. Alii in Au-
gia majore conſenuiſſe, ſcribunt. *Regino l.2. Aventinus l.3.*
Annalium Bojorum.

Henricus quartus Imp. cùm ſui juris eſſe contenderet, inve-
ſtituram Epiſcoporum per annulum, & baculum conferen-
di, ei Gregorius VII. Pap. formula concepta imperium abro-
gavit. Paſchalis inde II. Romæ concilio celebrato (Nauclerus
Florentiæ factum aſſerit) atrociore excommunicationis fulmi-
ne contra illum uſus eſt. Itaque ſub initium anni 1105. proceres
non pauci, filio Henrico V. ut contra parentem arma caperet,
auctores fuere. Is ſpecie pietatis, & religionis, ut Friſigenſis
loquitur, defecit, ac Romani Pontificis, & Chriſtianæ reipu-
C blicæ dignitatem, quæ tot jam annos patris ſui contumacia
plurimum eſſet periclitata, ſe pro virili tutaturum promiſit,
defecerunt hinc certatim omnes ad filium. Roma interim le-
gati adſunt, Pontificem adventurum nunciantes; Imp. comitia
indicit Moguntiæ, cauſam illic ſuam acturus. Filius cum
exercitu advolat, patri ſupplex accedit, pietatem erga illum
ſuam commemorat, auctore illi eſt, ut Pontifici placetur: ne
tamen ſe comitiorum incerto eventui committat, ſuadet, ſed
in propinquo oppido ſententiam procerum expectet: ejus ſeſe
vitam, & dignitatem pro virili tutaturum promittit. Pater
credulus, aveſantibus eum Epiſcopis pleriſque propter ex-
communicationem, filio paret, Bingum ſeſe confert. Illic
omni comitatu ſpoliatus, cuſtodiæ mancipantur Ingelhei-
mæ. *Otho Friſing. l.7. c.11. & Anton. & Sabel. l.4. Enn.9. Calen-*
dis Januarii, anno 1106. Moguntiæ Eccleſiarum præſules duo,
& quinquaginta, præter Richardum Albanenſem, Romanæ
curiæ legatum, principes, aliique proceres convenere. Ibi ſen-
tentia excommunicationis in Henricum ſeniorem à tot Pontifi-
cibus lata, denuo promulgatur: acta Gregorii VII. rata cen-
ſentur: Henricus filius omnium ſuffragiis Cæſar nuncupatur:
D cui mox facerdotes, ac reliqui proceres, more majorum, ju-
ramentum dixerant. *Urſperg.* V. Vigbertus Miſnenſis Marchio
ad Imperatorem captivum ablegatur cum mandatis, ſiquidem
ſuæ vitæ conſultum velit, Imperii inſignia Moguntiam perfe-
renda tradat. Imperata facit pater, dat coronam, ſceptrum,
crucem, lanceam, gladium. Hac patris promptitudine mini-
mè contenti, filium, ut ipſe regalia de patris manu accipiat,
adigunt. Horum itaque impulſu mox Ingelheimam petit,
ſuæ cauſæ addictis ſolùm ſtipatus hominibus, & Pontificio
legato. In frequenti hominum corona ad filium adducitur
captivus pater, regno ſponte cedit, ipſique filio regalia ma-
nu propria tradit, omnibus ſpectantibus. Filius, relicto parente,
ut ibi privato more viveret, diſceſſit: ut ex epiſtola Hen-
rici quarti ad Celtarum regem, & *Aventino* videre eſt. *Helmodus in Sclav. Chron. c.*32. habet, ex concilii mandato tres
Epiſcopos, Moguntinum, Colonienſem, & Vormacienſem
Imperatorem Ingelheimæ adiiſſe, ut ipſi invito Imperialia in-
ſignia auferrent. Illo autem cauſam requirente tam ſeveræ E
in ſe inauditum à concilio prolatæ ſententiæ, objeciſſe ei fe-
runtur, in conferendis Epiſcopatibus, & Abbatiis ſimo-
niam. Tunc Imperator: Dic Moguntine, die Colonienſis,
per nomen æterni Dei, quid à vobis acceperim. Dixerunt:
Nihil. Ei Imperator: Gloria Deo in excelſis, quia vel in
hac parte fideles inventi ſumus. Certè maximæ veſtræ di-
gnitates potuiſſent magnum cameræ noſtræ, ſi ita quærere-
tur, quæſtum præſtitiſſe. Dominus Vormacienſis novit,
quæſtu, an gratia interveniente illum receperimus. Nolite
patres temerare fidem veſtram. Ecce, jam ſenio laboramus,
ſuſtinete nobiſcum, & nolite in confuſionem gloriam noſ-
tram terminare. Generalem curiam expetimus: ſi cedendum
eſt, propriis manibus filio coronam trademus, & pa-
rumper ſecedens, Imperialibus ſe veſtivit inſignibus, & re-
verſus: Hæc, inquit, Imperialis honoris ſunt inſignia: hæc
mihi præſtitit æterni regis pietas, & principum electio. Po-
tens eſt Deus nos in his conſervare, & manus veſtras ab ope-
re cœpto cohibere, quamvis ſimus armis, & militia noſtra
deſtituti: ſecuri enim de tali violentia, nobis non proſpe-
ximus. *Erfordienſis cap.86. Chron. Hirſaug. Otho Friſin-*
*genſis lib.7. cap.*10. *Crantzius in Metropoli lib.5. cap.*20.
& 33. *Aventinus lib.5. Ann. Bojorum.* Anno ſequente, F
filius Coloniam patri addictam obſedit, miſſis legatis, pu-
blica fide interpoſita patrem in caſtra Leodio evocavit, ut
lege potiùs, quàm ferro, lis coram primatibus diſceptare-
tur. Dum Leodii moram trahunt legati, reſponſum ab
Henrico expectantes, ipſe morbo correptus vita exceſſit,
anno Imperii 53. ætatis 56. ſeptimo idus Auguſti, anni Sal-
vatoris 1106. Per eoſdem filio annulum, & enſem, paterni
amoris pignus extremum, miſit. *Vita Henrici quarti.* Manſit
corpus ejus ſepultum in cella quadam ædis deſerta, Ponti-
fice Paſchali II. id ſepeliri vetante, per annos quinque.
Sigonius lib.9. regni Ital.

Carolus Simplex Francorum rex ſuperbiebat, quòd Lo-
tharingiam amiſſam tanto intervallo Francis recuperaſſet.
Mox cum Henrico I. Imperator fœdus icit, qui poſcenti
Germanorum copias auxilio miſit contra adverſariorum fa-
ctionem: Germaniſque magis quàm ſuis ſeſe credebat, com-
mittebatque Simplex. Ea rex novam flammam invidiæ apud
Francos illi conflavit: auxitque eam quòd credebatur in ani-
mum induxiſſe, ſe, Franciamque Henrico Germanorum regi
ſubicere, ne bello à Germanis vexaretur, ſed eorum auxi-
liis, ſi opus eſſet, juvaretur. Id verò univerſa propè Fran- G
corum nobilitas non ferens, ad æmulum regni Robertum ma-
giſtrum equitum ſtudia, vireſque inclinavit. Conſenſu homi-
num permotus Herveus Hermorum pontifex eum inunxit.
Miraculo mortalibus fuit, quod die tertio ab ea inunctione
obiit Archiepiſcopus. *Æmilius l.3.*

Populus Francorum Hildericum, ignavum regem, floc-
cifacere cœpit, nec à contumeliis temperatum eſt. Ille um-
braticum, ille pupparum, alius puerorum regem eum appel-
labant. *Aventinus l.3. Annalium.* Itaque concilio Papæ eum
removerunt, & in monaſterium detruſerunt. *Ranulphus l.5.*
c.25. Polychronici.

Fridericus II. Imperator, cùm anno Chriſti 1225. Frideri-
cum ducem Auſtriæ creaſſet regem Auſtriæ, illum ea dignita-
te privavit anno Chriſti 1236. quòd ageret vitam rege indi-
gnam, & infamem. *Munſterus in Chronico.*

Edovardus II. Anglorum rex ignaviſſ. ab uxore Iſabella, &
proceribus captus, regno dejectus, & in carcere necatus fuit,
ſubſtituto ei Edovardo II. F. *Polyd. l.18.*

Saxones Arthuri Britannorum regis cæde audita in
Albionem reverſi, ſubactis Britonibus, pulſoque in Vua- H
liam rege Conſtantino, Anglorum reſtituerunt regnum.
Conſtantinus poſt aliquot annos liberis, & conjuge orba-
tus, clam cum ſuis abiit in Herbiam: ibique in priſtino
pauperum obſequiis aliquamdiu defervivit incognitus. In-
de Monachi ſuaiu, cui ſe patefecerat, tonſo capite, cœno-
bium ingreſſus eſt. Ad Scotos tandem miſſus à loci antiſti-
te, ut populum Chriſti dogmate erudiret, impiorum ma-
nibus paſſus eſt martyrium. Cui aliquot poſt ſecula relato in
divorum numerum templa nonnulla inter Scotos erecta fuere.
H. Boeth. l.9.

Gormo Anglorum Rex, Daniæ regnum mortuo Fro-
thone VI. patre recipiens, Angliæ regnum abſens amiſit.
Saxo lib.

Henricus ſextus Anglorum Rex, Pariſiis ad divæ Virginis,
opera Cardinalis Viceſtrienſis, Francorum Rex coronatus eſt
duodecim natus annos. Idemque poſteà & Francorum, &
Angliæ